MASTER NEGATIVE NO. 91-80388-6

AUTHOR: POL, HERMANN

TITLE: DISSERTATIO LITERARIA....

PLACE: GRONINGAE

DATE: [1834]

Master Negative #
91-80388-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Pol, Hermann, 1811-1845.
Dissertatio literaria inauguralis de Aristophane, poete comico, ipsa arte boni civis officium praestante, quam ... offert Hermannus Pol ... Groningae, apud W. van Boekeren, [1834].
169 p. 22½ cm.

Thesis, Groningen, 1834.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/22/91 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS,

DE

ARISTOPHANE, POETA COMICO, IPSA ARTE BONI CIVIS OFFICIUM PRAESTANTE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

JOÄNNIS FREDERICI VAN OORDT, J. G. FIL.

Ord. Milit. Guil. Equit. S. S. Theol. Doct. et in Facult. Theol. Prof. Ord.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO FACULTATIS EXAMINI OFFERT

HERMANNUS POL,

TRANSISALANUS EX PAGO HENGELO.

Ad d. XXVIII Junii MDCCCXXXIV. Hora IX.

GRONINGAE,

Apud W. VAN BOEKEREN.

AD

VIRUM ERUDITISSIMUM PLURIMUMQUE VENERANDUM

H. H. EVERS,

SACRI CODICIS INTERPRETEM

IN OPPIDO

ENSCHEDE,

CUI

PRAECEPTORI CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

IN GRATI ANIMI TESTIFICATIONEM DEDICAT

AUCTOR.

Dilecta tellus Atthis Apollini
Novemque quondam cara sororibus
Quam Pallas augusto beavit
Nomine, nec pereunte fama!
Quaenam tuas sors invida diruit
Urbes et agris eripuit decus?
Audax quis eversor, Minervae
Marmoream spoliavit aedem?
Heu! tecta fractis ruderibus latent
Delubra, turpi pulvere squalida;
Et tristis adspectat viator
Tot veteris monumenta saecli!

Jacet sepulchro condita lugubri
Tellus, vetustis nobilis incolis.
Ac moestus Ilissus lutoso
Flumine vix rigat arva sicca.
Non marmor album, non ebur Indicum
Non alta regum tecta potentium
Minas et hostilem furorem
Temporis effugiunt edacis.
At saeva dirae sortis iniquitas
Jubente Musa, non nocet inclytis
Viris, quibus Divae dederunt
Facta patrum celebranda scriptis.
Sublimis auctor carminis Aeschylus
In cuncta vivet tempora nobilis
Ac semper argutae Camoenae
Grandiloqui Sophoclis placebunt.
Quis pura coeli sidera splendidi
Recenset? alti quis valet aequoris
Cum saeva ventorum quievit
Vis, placidos numerare fluctus?
Sed ille summos enumeret viros
Quibus superbit Cecropis oppidum,
Et laudibus dignis celebret
Nomina, non peritura fatis.
O sorte felix is nimis optima,
Cui ridet almus Pieridum chorus
Quem Pallas antiquis benigna
Artibus erudiisse gaudet!
Fortuna votis haec etiam meis
Amica favit: Pallas et annuit
Piumque cultorem Vetustas
Me sua sacra docet verenda.

O tu, magister, pectore candido
Colende semper, qui puero mihi
Ad templa Musis dedicata
Arduum iter prior indicasti!
Qui dux fuisti certus ad asperi
Montis cacumen, quo sapientiae
Refulget, aeternis columnis
Fulta, Diis veneranda, sedes,
Tibine pravo carmine gratias
Referre conor? Suscipit irrita
Qui fretus infirma carina
Jonium mare spernit audax.
Ne munus istud displiceat tibi;
An poma, fructus arboris illius
Quam severat quondam laborans
Agricolae fore acerba, credam?

PRAEFATIO.

Paucis verbis, amice lector, consilium esse explicandum mihi videtur, quo ductus hoc argumentum tractavi. Cum tragicos Graecos in deliciis haberem, non potui non evolvere Aristophanem, eorum laudis, diversa tamen ratione, socium. Atque ex hujus festivis jocis magnam voluptatem percepi: inprimis autem ejus audaciam, qua demagogos persequutus est, et judicii acumen, quo causas malorum, quibus Athenae premebantur, perspexit, admiratus sum; nam ridendo non solum, sed, ut ita dicam, flagellando verum dicere non dubitavit, Itaque cum argumentum dissertationis quaererem, suasit Clar. VAN LIMBURG BROUWER, *praeceptor aestumatissimus, mihi, ut Aristophanis merita in conscribendis dramatibus politicis exponere conarer. Arrisit confestim argumentum, etsi non facillimum. Atque id ita esse tractandum putavi ut ejus fabulas, quae argumenti mere politici sint, singulas explicarem, historiam ejus temporis ex ipsis fontibus illustrarem, consiliumque comici et rationem, qua id sit exsecutus, officiumque boni civis praestiterit, pro viribus ostenderem. Quae autem in reliquis comoediis non politicis inveniuntur ad rempublicam pertinentia, ea in ultimo capite congessi et nexum cujusque fabulae, ex qua desumta sint, exposui, ne disjecti membra poëtae darem, quamvis fortasse a meo proposito alienum videri possit, haec ita fuse enarrare. In primo capite nonnulla, introductionis causa, dicenda esse arbitrabar, de comoediae veteris origine, et ratione, de quibus breviter tantum egi, ut nostri poëtae mentem et consilium melius intelligeremus. Recentiores de Aristophane scriptores raro laudavi, quia magis e re mea erat, ex ipsis fontibus, ex historia, et Aristophane ipso plurima deducere.*

Ceterum in juvenile opus quadrat Martialis dictum:

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura,

aut sane multa parvi momenti et minus accurate exposita aut prave dicta. Sed quid juvenis praestare potest, quod ab omni parte limatum sit? Itaque benevolus lector hisce naevis propitius sit, vehementer opto. Atque etiam mendis typographicis bene consulet, precor, quae fato quodam evitari vix possunt.

Vobis autem omnibus, Viri clarissimi, quibus tam in Illustri, quod Daventriae est, Athenaeo, quam in hac Academia, praeceptoribus uti mihi licuit, gratum obtestor animum. Tibi, inprimis, clarissime BOSSCHA, *debitas gratias refero pro beneficiis summa humanitate in me collatis et opera, qua me in litteras*

Graecas incumbentem, semper benignus juvisti: nullum tempus eorum memoriam mihi eripiet. Quibusnam autem verbis tibi, clarissime VAN LIMBURG BROUWER, *dignas grates persolvam, pro tot tantisque meritis erga me? verbis ea dignis celebrare non possum: malis vero nolo; sed persuadeas tibi velim Vir clarissime! me per omne, quod mihi detur vitae tempus, quibus poterim in rebus, gratum animum testificaturum esse, Valete viri clarissimi vosque D. O. M. in litterati orbis decus diu salvos sospitet.*

CAPUT PRIMUM.

DE COMOEDIA VETERI.

Αἱ χάριτες τέμενος τὶ λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

PLATO.

Poësis Graecorum ab omni aevo a populis humanitate excultis summis laudibus extollitur; carmina Homeri, Sophoclis tragoediae, Pindari odae, tanquam pulcherrima ingenii humani specimina celebrantur; exiguo sane poëtarum numero temporis invidia pepercit, sed, quemadmodum ex columnis nonnullis superstitibus dijudicare possumus, quanta ipsius templi pulchritudo et magnificentia olim fuerit, ita ex hisce paucis reliquis, quantopere Graecorum poësis quondam floruerit, luculenter apparet. Attamen unus horum poëtarum et totum poëseos genus, quo ille usus est, a plerisque minus aequo judicio damna-

tur, imo spernitur; comicus Aristophanes, ob impiam obscoenitatem, cujus accusatur, (atque ita omnis comoedia vetus, qua Athenienses delectabantur et quam nos ex illius scriptis solis cognoscere possumus, cum reliquorum comicorum dramata interierint) a permultis tanquam lectu indignus rejicitur. Verum ista vitia, ut mox videbimus, magis populo ipsi quam Aristophani imputanda sunt, et quod fortasse nondum satis animadversum est, in ipsis his comoediis a multis vituperatis boni civis officium poëta egregie praestitit. Ipsis enim facetiis causas, cur respublica praeceps daretur explicat, summa acerbitate vitia perstringit, plebis stoliditatem incusat atque in nefarios demagogos invehitur, ne dicam, nullius scriptoris lectionem utiliorem esse ad rempublicam, mores, ingenium Atheniensium, bello Peloponnesiaco flagrante, accurate cognoscenda et perspicienda. Itaque Aristophanis comoedias, in quibus argumentum politicum tractatur, ita explicandas esse arbitrabar, ut consilium, quo ductus comicus fabulam aliquam scripserit, manifestem rationemque ostendam, qua id consilium sit exsecutus. Antequam autem ad Aristophanem accedimus, necesse erit, ut in comoediae veteris originem atque indolem et causas, cur illa rebus politicis mixta sit, breviter inquiramus.

Prima comoediae origo densis tenebris involuta latet, multique Graecorum, Dores in Peloponneso, Megarenses, Siculi, Athenienses sibi comoediae inventae laudem vindicant. Cum autem comoedia nihil significet praeter cantum, qui per vicos ab agricolis canebatur, vicique a Peloponnesiis κῶμαι, ab Atheniensibus vero δῆμοι appellentur, et praeterea verbum δρᾶν, unde δρᾶμα, pro πράττειν a Doribus usurpetur, hujus artis primitiae a Doribus repetendae videntur (1). Fieri tamen potest, rem aequaliter ad omnes pertinere. Scilicet per totam Graeciam, vindemiarum tempore, hymni chorique in Bacchi honorem celebrabantur, et pastores, vultu minio et vini faece illito, saltantes per vicos discurrebant, rustico et incomto carmine Bacchi laudes canentes, unde Tibullus (2).

Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti,
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Non raro autem choro pastorum ita discurrentium alius ex alio vico chorus obviam veniebat, atque aemulatione accensi agricolae tum procacibus et obscoenis conviciis se invicem proscindebant. Rudis illa agricolarum comoedia, quae ex hisce conviciis orta fuisse videtur, primis temporibus ob nimiam protervitatem in urbes non admissa est, neque Susarion, qui Athenis Olymp. 55 (A. C. 556), eodem quo Thespis tempore, floruit, et in marmore Arundeliano tanquam inventor comoediae celebratur, eamque ad certiorem formam redegit, efficere potuit, ut illa civibus admodum placeret. Ludicra ejus nondum scripta, sed tantum extemporanea fuisse tradit Aristote-

(1) Aristot. art. Poet. cap. 3.

(2) Lib. II. carm. 1. vs. 55. Cf. de comoediae principiis Riedel, Comment. in Horat. Epist. ad August., pag. 281 seqq.

les (1). Verum quomodo ex hoc informi et rudi ludicro comoedia sensim magis exculta et perfecta sit, ignotum est; nam *αἱ μὲν τῆς τραγῳδίας μεταβάσεις καὶ δι' ὧν ἐγένοντο, οὐ λελήθασιν· ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν* (2). Melior lux tandem in Sicilia comoediae affulsit, cum Epicharmus, Phormis aliique, qui Olymp. 73 (A. C. 480) vixerunt, ad comoedias scribendas animum appellerent. Praesertim Epicharmus Pythagoreus magnas laudes, etiam apud Athenienses, assecutus est, nam, ut ait Theocritus (3)

πόλλα γὰρ ποττὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα
μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Siculorum poëtarum artem imitati Athenienses, mox laude eos superarunt. Chonnides, Timocreon Rhodius multique alii, quorum nomina referre nihil attinet cum tantum fragmenta ex illorum operibus supersint, ingentem laudem sunt assecuti. Pericles, ille artium et scientiarum fautor, comoediam etiam non neglexit, licet ipse saepius comicorum licentia et dicteriis proscinderetur. Celeberrimi comici eo tempore fuere Magnes, Cratinus, Crates, Teleclides, Eupolis, Aristophanes, qui solus tempora nostra tulit, cum illorum tantum fragmenta passim apud Athenaeum et Plutarchum inveniantur. Ipse Aristophanes de me-

(1) Art. Poet. cap. 4.

(2) Id. Ibid. cap. 5.

(3) Epigr. 17. Ei quoque inventionem comoediae tribuit. Plato etiam Epicharmum mirabatur.

ritis Magnetis, Cratini et Cratetis in Equitibus vs. 519 benigne loquitur, etsi ipse comicus adeoque eorum obtrectator erat (1). Magnes initio acceptissimus populo ob facetiarum elegantiam, postea

ἐξεβλήθη πρεσβύτης ὤν, ὅτι τοῦ σκώπτειν ἀπελείφθη.

Cratinus, tumido et magnifico dicendi genere usus, ut Aeschylus in tragoedia, Archilochi mordacitatem imitatus, acerbe in adversarios invehebatur. Comoediae scribendae rationem quoque emendavit. Crates suavitate et elegantia simplici summam apud spectatores gratiam iniit. Argumenta, quibus hi poëtae popularem auram captare solebant, risui movendo semper apta erant. Initio plerumque fabulae ab antiquis poëtis de Deorum rebus gestis ridicule confictae, veluti Promethei furtum, Bacchi facta, Herculis opera, mythi ex aurea aetate, spectatoribus ridenda proponebantur, ut liquet ex multorum dramatum inscriptionibus, apud Athenaeum aliosque obviis. Tragicorum dicta et versus jocose traducebantur et parodiis in sensum contrarium detorquebantur. Mox omnes ob vitia notandos insectati comici petulantibus jocis proscindere sunt ausi, teste Horatio (2).

(1) Jam Hesiodus dixerat Op. et Dies vs. 20.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

(2) Satyr. Lib. 1, 4 vs. 3. Aristoteles l. l. contendit, comoediam ex Homeri Margite eodem modo ortam esse ac tragoedia ex Iliade et Odyssea.

Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur
Quod moechus foret, aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Quod initio solum in privatos dicebatur, paulatim etiam nimia libertate in viros, qui magistratus et honores gerebant, comici transtulere. Jam Timocreon Rhodius, dithyrambis clarior, Themistoclem in scenam producere non veritus est (1). Timocreontis audaciam imitati sunt ceteri comici, et Cratinus, Eupolis, Hermippus Periclem aeque proterve et audacter exagitarunt. Quin Teleclides in fragmento, quod Plutarchus servavit, ausus est dicere, Athenienses Pericli tradidisse (2):

πολέων τε φόρους, αὐτάς τε πόλεις, τὰς μὲν δεῖν τάσδ' ἀναλύειν
λάϊνα τείχη, τὰ μὲν οἰκοδομεῖν, τάδ' αὐτὰ πάλιν καταβάλλειν
σπονδάς, δύναμιν, κράτος, εἰρήνην, πλοῦτόν τ' εὐδαιμονίαν τε.

Insolentiam comicorum Pericles frustra lege coërcere conatus est, quae comoedias agi vetaret, sed post tres annos lex abrogata est. Mortuo Pericle, comoedia

(1) Suidas in voce *Τιμοκρέων*. Ceterum iste inimicitias cum Themistocle aliisque claris viris exercuit, unde Simonides Anth. Gr. *ἐπίτυμβ*. 348 hoc epitaphio eum honoravit:

πόλλα φαγὼν καὶ πόλλα πιὼν καὶ πόλλα κάκ' εἰπὼν
ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

(2) Plut. in Pericle cap. 10.

plane opiniones in republica obtinentes repraesentabat, cujus flagello comici, plerumque optimatium partibus addicti, demagogos atque etiam suos nonnumquam percutiebant, cumque in senatu et in comitiis pessimus quisque populo fraudibus et blandimentis fucum faceret, comici saepissime eorum fraudes et mala consilia increpabant plebemque ad saniorem mentem reducere conabantur.

Omnium comicorum longe celeberrimus Aristophanes ex tanto numero ad nos solus pervenit, ex cujus fabulis, quarum undecim supersunt, judicare possumus, qualis comoedia antiqua apud Athenienses tempore Periclis et belli Peloponnesiaci fuerit. Vita hujus poëtae ignota est. Patre fuit Philippo quodam, ex demo Cydathenis oriundus, quamvis nonnulli dicant, eum Rhodium vel Aeginetam fuisse. Annus, quo natus est et decessit, ignoratur. Primam comoediarum, Daetalenses, quae hodie deperdita est, scripsisse videtur quarto belli Peloponnesiaci anno; ultimam autem, Plutum, Olymp. 98, 1, in scenam produxit Itaque omnia ejus dramata ad illa tristissima tempora pertinent, cum Graeci furore occoecati gravissimo bello se invicem persequerentur; plurimum lucis quoque afferunt ad internum Atheniensium statum, grassante hoc bello, nobis aperiendum. Etenim gravissimus auctor Thucydides res quidem terra marique gestas dilucide refert, diversa factionum studia, turbas et seditiones enarrat, mores ducum et fortia militum facta exponit, attamen conditionem ipsius plebis urbanae fuse explicare non potest, nimisrebus gestis narrandis

occupatus. Demagogorum fraudes, quibus insana multitudo ludibrio habebatur, perversa reipublicae administratio, turbae in comitiis excitatae, morumque corruptela, atque harum rerum causae, non ex Thucydidis libris percipiuntur, sed ex Aristophanis dramatibus cognoscuntur. Dum historicus nos docet, quid foris agatur, quaenam urbes oppugnentur, quot proeliis decernatur, comicus manifestat, quid in foro atque in comitio plebs Atheniensis loquatur, quaenam consilia ineat, quid demagogi parent, quid optimates obnitantur. Itaque ambo scriptores a se invicem lumen accipiunt et causas rerum, quas alter memoriae prodidit, alter nonnunquam explicat. Causae, cur comoediae lusus adeo cum rebus ad rempublicam pertinentibus permixti sint, paucis verbis exponendae esse mihi videntur.

Comici semper id agebant, ut populo, Bacchi festa celebranti, laetitiam salium acumine jocorumque festivitate augerent, risumque spectatoribus moverent. Quam largam ridendi materiam iis praebuerint mythologia fabulaeque tragicorum, jam vidimus, sed magis etiam acceptae erant plebi contumeliae et convicia, quibus quosdam homines notatu dignos perstringebant. Quod cum animadverterent comici, huic traducendi et exagitandi libidini paulatim indulsere, homines nequam vitiisque famosos incusarunt; mox adversarios et inimicos adorti, acerbius in eos invecti sunt. Inprimis Cratinus acerbitate et vehementia inter veteres comicos innotuit. Auxit mordacitatem comicorum dicteriisque ansam praebuit ipse Pericles. Etenim, cum ejecto Thucydide optimates oppressisset et democratiam, labefactatis Solonis institutis, constituisset, (licet rerum summa non penes plebem, sed penes ipsum esset) illi, plebis imperium aegre ferentes comicorum opera uti coeperunt, ut eum variorum criminum apud populum accusarent civibusque odiosum redderent (1). Quamvis vera saepius monuerint, ut fragmentum Teleclidis indicat, tamen nonnunquam invidia et odio nimis infesto inflammati, summum virum immerito conviciis lacerarunt. Verum dum Pericles rerum gestarum gloria, ludorum magnifico apparatu, urbe pulcherrimis aedificiis exornanda popularem favorem sibi conciliabat, ista comicorum ludibria parvi momenti fuerunt. Ipso autem mortuo res mutata est. Effrenata plebs, cui immodicam ille libertatem tribuerat, sapienti moderatore orbata, se pessimo cuique regendam tradidit; imminuta enim Areopagi auctoritate, fracta Senatus potentia et magistratuum vi, plebs imperio suo superbire atque sese jactare coepit. Importuni demagogi blandiendo, pollicendo, optimates accusando, multitudinis gratiam captabant; imperita plebs verborum lenociniis facile decepta, credebat, eos omnem operam dare, ne quid detrimenti respublica, seu potius democratia caperet. Ejusmodi homines Aristophanes in Equitibus et Vespis aliisque dramatibus summo jure exagitat, eorumque fraudes detegit.

Optimi cives istam nefariam demagogorum admini-

(1) Plut. in Pericle passim.

strationem aegerrime ferebant, et per omnes fere belli Peloponnesiaci annos eorum consiliis obsistere plebemque ad saniorem mentem reducere sunt conati. Ad ejus favorem sibi conciliandum, comicos in auxilium advocarunt iisque chorum praebuerunt (1). Scenica ludicra plebs adamabat, et comica licentia maxime delectabatur; libenter cachinmum tollebat de vitiis eorum, qui reipublicae praeërant; summo gaudio facetias audiebat, quibus demagogi ridebantur; quin se ipsam in scenam traduci facile patiebatur. Summa libertas, qua Athenienses se gaudere gloriabantur, impediebat, quominus ista jocandi licentia constringeretur, et florente republica, nulla lex in eam lata est. Verum cum illa libertas, captis a Lacedaemoniis Athenis, diminueretur, comici quoque paulatim lege adstricti sunt, ne tam petulanter in quoscunque inveherentur. Populus mox jussit eos neminem nominatim exagitare: (ne ipsa civitas, et archontes ludibrio haberentur, jam antea lege cautum fuisse videtur, etsi ex Aristophanis Equitibus apparet, eam legem saepius violatam fuisse). Deinde choro et jure noecendi, ut ait Horatius, paulatim sublatis, veteri media comoedia quae dicitur successit, quae res quidem veras tractabat, nominibus autem fictis utebatur. Tandem nova comoedia exstitit, quae et res et nomina ficta tractanda sumsit.

Itaque veteris comoediae indoles haec erat, ut quidquid ad rempublicam pertineret, spectatoribus ridendum proponeretur et vitia magistratuum, mala reipublicae administratio reprehenderentur. Recte dixisse mihi videtur scriptor anonymus (1): « In dem Atheniensischen Freistaate war offenbar nicht der Mensch,
« sondern allein der Bürger für den dramatischen
« Dichter merkwürdig und interessant. Man frage sich
« selbst, ob Aristophanes, während der Peloponne-
« sischen Unrühen, wo der Athenienser so ganz und
« gar Bürger war, etwas Wichtigeres auf die Bühne
« bringen konnte als ihn? Es is nicht verwerfliche
« Tadelsucht, nicht Frevel wenn er die Grossen der
« Republik hervorzieht, und ihre Entschlusse und
« Handlungen zur Schau aufstellt: es is Schult des
« Zeitalters, das seinem Witze keine andere Gegen-
« stände gewährte, und Bedürfniss des Volkes, des-
« sen Gesmack sich an dergleichen Ausfälle weidete."
Hujus observationis veritatem argumentis ex ipso comico petitis demonstraturi, sex ejus comoedias, quae politici argumenti sunt, singulas exponemus, ut liqueat, quo consilio ductus Aristophanes id argumentum elegerit, quomodo id tractaverit, et quanta sapientia et sagacitate omnia providerit et suaserit quae reipublicae utilia, imo necessaria essent. Quodsi non is solum, qui captis armis natalem terram ab hostium vi defendat, boni civis officio fungitur, verum etiam ille, qui optima quaeque suadendo, saluti publicae providus consulit, tum certe Aristophanes, ceteroquin obscurus homo, qui nunquam ad rempublicam accessit, hac laude celebrandus est. Etenim

(1) Plut. in Nicja.

(1) Neue Biblioth. der Schönen Wissenschaften, B. 37. St. 1. pag. 1—39.

in sex illis politicis dramatibus, quae Acharnenses, Equites, Vespae, Pax, Aves et Lysistrata inscribuntur, saluberrimis consiliis cives adhortatur, fraudes demagogorum explicat, causas cur respublica male administretur indicat, qua ratione veterum avorum felicitas et potentia recuperari queat, festive ostendit; verbo, vitia tum singulorum hominum tum reipublicae, accurate manifestat et comice graviter reprehendit. Mores Atheniensium nobis dilucide ob oculos ponuntur; ex nullo veterum auctorum scripto accuratius veriusque coguosci possunt. Ad eos cognoscendos magni quoque momenti sunt quinque reliquae ejusdem comici fabulae, in quibus argumenta politica proprie quidem non tractantur, attamen tam multa, ad rempublicam resque gestas pertinentia reperiuntur, ut de iis breviter nobis etiam sit agendum. Ex Nubibus, Thesmophoriazusis, Ranis, Ecclesiasuzis et Pluto luculenter apparet, quanta sollertia, quam acri judicio, quam exculto et erudito ingenio fuerit Aristophanes; ut non est, quod miremur, eum reliquis comicis festivitate, elegantia et ingenio multum antecelluisse. Hae undecim fabulae tantum nostram aetatem tulerunt: de numero autem earum, quas scripsit Aristophanes, non conveniunt inter se veteres; sunt, qui putent illum edidisse octoginta et duo dramata: alii tantum quinquaginta et quatuor eum scripsisse contendunt (1). Ex hisce fabulis tres ad mediam comoediam referuntur.

(1) Fabric. Biblioth. Graec. Lib. II. cap. 21, ubi nomina deperditorum dramatum recensentur.

Quanam in materia poësis comica Aristophanis versetur, indicavimus, verum quanam ratione et quomodo hanc materiam tractaverit, exponere non ita facile est. Etenim in ejus comoedias definitio, ab Aristotele data (1) haudquaquam quadrat; quaecumque enim vitia, non ridicula tantum, vehementer insectatur. Certis quoque regulis, ut tragoedia, non constringitur ejus fingendi et jocandi libertas; quidquid spectatoribus risum movere et rem vel hominem, quem petit comicus, magis ridiculum vel odiosum reddere possit, avide arripitur. Scenae, vinculo admodum laxo conjunctae, facetiarum, lasciviae, jucunditatis plenae, nonnunquam vix inter se connexae, fabulam constituunt; regula, quam laudat Horatius (2)

Primo ne medium, medio ne discrepet imum

incognita est Aristophani atque aliis comicis, qui tantum id agebant, ut plebi placerent praemiumque reportarent. Qua libertate in perstringendo homines gaudebant, eadem in conscribendo dramate utebantur, modo istos percellerent, quos irridendos sibi sumserant, idque adipiscerentur, quod sibi animo proposuerant. Inter fabulas quae supersunt, Acharnenses et Plutus, majori, quam reliquae, ordine exponuntur; in ceteris permulta invenias, quae cum ipso dramatis argumento non apte cohaereant.

Comici aeque ac tragici choros adhibent, sed multum inter utrosque interest. Tragici chori officia,

(1) De art. poet. cap. 5. *Ἡ δὴ κωμῳδία ἐστι μιμήσις, φαυλότερων μεν, οὐ μὲν τοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ, οὗ ἐστὶ τὸ γελοῖον μόριον.*

(2) Art. Poet. vs. 152.

quae Horatius (1) pulchre explicat, Aristophani ignota sunt. In nonnullis fabulis chorus ipse principes partes agit, ut in Avibus, Thesmophoriazusis, Ecclesiasuzis; in Lysistrata et Ranis duo chori simul introducuntur; (in Ranis autem chorus Ranarum semel tantum canit, et ludibrii causa additur) chorus comicus viginti quatuor, tragicus vero quindecim choreutis constabat. Diverso etiam saltationis genere utebantur, nam comici lascivam et petulantem saltationem, quae *κόρδαξ* vocabatur, adhibebant; tragici vero saltationem gravem et modestam, *ἐμμελείαν* dictam, (Tertium saltationis genus est satyrica *σίκιννις*). Inprimis animadvertenda est comicorum *παράβασις*; scena enim, actu finito, ab omnibus interlocutoribus relicta chorus solus ex more solenni remanebat, et choreutae sese ad spectatores convertebant fabulaeque saepius obliti, de rebus plane diversis cum iis colloquebantur. Plerumque poëtae laudes extollebant ejusque ingentia erga patriam merita celebrantes, spectatores exhortabantur, ut ei praemium decernendum curarent; eos graviter increpabant, si alios comicos ei praetulissent multaque festive, eleganter, et jocose dicta non in cives malos solum, sed et in ipsam plebem, in rempublicam, in mores conferebant. In hisce parabasibus poëtae vis comica maxime perspicitur et pleraeque Aristophanis fabularum ea sunt ornatae, sed in Lysistrata Ecclesiasuzis atque Pluto, parabasin frustra quaeras; quin omnis chorus ex hisce duabus pene sublatus vide-

(1) Art. Poet. vs. 192.

tur. Forma earum non ubique eadem est; plerumque constat ex oratione ananapaestica, tum hymnus in Deorum honorem (sed non semper) deinde trochaico *ἐπιῤῥήματι*; tum rursus hymno, postremo denuo *ἐπιῤῥήματι* trochaico; sed haec forma saepius mutatur.

Ceterum Aristophanes ipse gloriatur, sese comoediae scribendae agendaeque rationem multum emendasse, jocos insulsos, quibus comici apud spectatores gratiam inire studebant, evitasse, atque ita de comoedia meritum esse, ut chorum (1) dicentem faciat:

Τοιαῦτ᾽ ἀφελὼν κακὰ καὶ φόρτον καὶ βωμολοχεύματ᾽ ἀγεννῆ
ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ᾽ οἰκοδομήσας
ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις
οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδε γυναῖκας.
ἀλλ᾽ Ἡρακλέους ὀργὴν τίν᾽ ἔχων, τοῖσι μεγίστοις ἐπιχειρεῖ,
διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δείνας κἀπειλὰς βορβοροθύμους
κ. τ. λ.

Atque in Nubibus alios comicos acerbe perstringit, utpote qui *πονηρὰ σκώμματα* malis artibus occultare et accepta plebi reddere conabantur, et bis vel ter eadem, parumper immutata, in scenam producere non dubitabant, at ego, ipse ait:

ἀεὶ καίνας ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.

(1) Pacis vs. 740 seqq.

Laudare semet ipsi in hisce parabasibus solebant comici (1).

Aristophanes initio dramata sua non ipse docuit, sed aliorum opera, inprimis duorum praestantium histrionum Callistrato et Philonide usus est (2). Cum autem Equitibus suis in Cleonem impetum faceret, et nemini persuadere posset ut Cleonis partes ageret, ipse vultum minio suffectus in scenam prodiit et ejus partes egit. Istud facinus, quo ipse elatus est, facili negotio perpetravit, quia, ut videtur, ab optimatibus Cleoni infestis, defendebatur.

Judicia, quae de hujus comici meritis ab eruditis feruntur, maxime diversa sunt. Inter veteres Plato eum miratus esse dicitur et saepius ejus dramata evolvisse; Athenienses magni ea aestimarunt. Plutarchus autem, peculiari disputatione eum cum Menandro confert, et acerbe exagitat. Quodsi Aristophanes Nubes non scripsisset, fortasse aequius de eo judicassent plurimi recentiorum, sed nomen Socratis magno ei damno fuit. Etenim, re non accurate perspecta, multi Aristophanem extemplo damnarunt; quanto jure, cum ad Nubes pervenerimus, videbimus; utrum temere calumnietur, cum in pessimum quemque invehitur, etiam ex politicis dramatibus nobis erit dijudicandum. Unius tantum criminis non absolvi potest poëta, nempe obscoenitatis. At si cogitamus, dramata ea acta esse tempore festorum Bacchicorum,

(1) Cf. Vesp. vs. 998 seqq. Acharn. 628.

(2) Equit. vs. 519 ibiq. Schol.

cum omnis Attica vino et voluptati libere indulgeret; si animadvertimus, infimae plebi comicos placere debuisse; in Bacchi honorem ludos scenicos, inprimis comicos, celebrari; si ad morum corruptelam attendimus, quae Athenis tunc temporis ingens erat, vix dubito, quin Aristophani permulta vitio verti non possint, sed ad ipsum populum culpa sit transferenda. Atque etiam impietatis eum accusant, quod Deos ludibrio habuerit et sacra profanarit; verum qui ejus comoedias accurate perlegerit, facile videt, poëtam nusquam Deorum numini irrisisse, sed ridiculas fabulas a poëtis narratas, omnibusque notas, in scenam produxisse. Athenienses qui religiosissimi Graecorum habentur, sane non tolerassent, comicos impie loqui; quod si Aristophanem fecisse putaverant, procul dubio ab eo, ut ab Anaxagora, Protagora, aliisque gravissimas poenas repetivissent.

Restat ut indicemus, quonam tempore et anno singula dramata Aristophanis acta sint, etsi eruditi nondum de festo et mense, quo acta sint, inter se consentiunt. Festa, in quibus celebrabantur Dionyso sacra, et ludi scenici edebantur, tria erant; *Διονύσια μεγάλα*, die 12 mensis Elaphebolionis, quae summa pompa per multos dies celebrabantur, cum magna Graecorum turba undique conflueret ut spectaculis sacrisque interessent; *'Ανθεστήρια*, etiam die 12 mensis Anthesterionis, per tres dies celebrata, qui vocabantur *πιθοιγία*, *χόες*, *χυτραί*. Nonnulli putant Anthesteria eadem fuisse ac Dionysia Lenaea, in quibus multae Aristophanis comoediae sunt actae. — Tertium

festum erat, quod in Bacchi honorem ab agricolis Piraeei celebrabatur, per tres ultimos dies mensis Posideonis, qui nominabantur θοίνη, ἀσκώλια, ἰωβακχεῖα, vel Dionysia Lenaea. Sed Eruditi de his festis quoque non consentiunt.

Secundum Clintonem (1) dramata hisce annis sunt acta:

Acharnenses	Olymp. 88, 4.	A. C.	425.
Equites	« 89, 1.	. . .	424.
Nubes	« 89, 2.	. . .	423.
Vespae	« 89, 3.	. . .	422.
Pax	« 89, 4.	. . .	421.
Aves	« 91, 3.	. . .	414.
Thesmophoriazusae .	« 92, 2.	. . .	411.
Lysistrata	eodem anno.		
Ranae	« 93, 4.	. . .	405.
Ecclesiazusae	« 96, 3.	. . .	394.
Plutus	« 98, 1.	. . .	388.

(1) Fast. Hellen.

CAPUT SECUNDUM.

ACHARNENSES.

τὸ γὰρ δίκαιον οἶδε χ' ἡ τρυγῳδία.
ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μὲν, δίκαια δέ.

Discordia, quae jam belli Medici tempore inter praecipuas Graeciae civitates orta et paulatim variis causis aucta erat, tandem ad bellum atrox et diuturnum exarsit. Odium inveteratum, quo gentes Dorica et Ionica stirpe oriundae, se mutuo prosequebantur, morum varietate ac diversa institutorum ratione accensum, mutuisque offensionibus per longam annorum seriem exasperatum, sacro civium sanguine beata quondam Helladis rura conspersit. Avita enim Atheniensium gloria, decore apud Marathonem Salaminaque parto splendide refulgens, postea multis magnisque victoriis terra marique reportatis in dies aucta, ceterarum civitatum invidiam movit; res eorum secundae, classibus copiisque navalibus firmae ac stabiles, quibus freti Athenienses maris Aegaei insulas fere omnes partemque Thraciae ditionis suae fecerant, non vano timore

adversariorum animos perculit, cum praeterea severum in socios imperium, summa in reliquos Graecos superbia (1) multaque in eos injuste, crudeliter, nefarie facta ad iram vindictaeque cupidinem omnes stimularent. Inprimis Lacedaemonii amissum τῆς ἡγεμονίας honorem graviter dolentes, jam bellum parabant sperantes fore, ut eo libertatis causa, ut affirmabant, suscepto, profligatis adversariorum copiis, auctoritatem imperiumque recuperarent brevique ipsi rerum potirentur. Rem tamen difficillimam et periculo plenam aggrediebantur. Nam et Lacedaemonii et Athenienses, quamvis diversa ratione, viribus paene pares erant; quam fiduciam Atheniensibus classis sociique insulani praestabant, (quorum ope maris imperio gloriabantur) eam Peloponnesiis exercitus terrestris dabat, quocum hostium fines infestare ipsisque Athenis metum incutere poterant. Itaque fieri aliter non potuit, quin bellum in multos annos tractum, ancipite fortuna, tandem ambobus populis atque adeo omni Graeciae perniciosum evaderet. Quod cum provideret rex Lacedaemonis Archidamus, consilii temeritatem increpare bellumque dissuadere coepit; sed prudentis regis auctoritas iratos Spartiatas sociosque haudquaquam movit. Neque Athenienses, auctore Pericle, periculum detrectandum esse putabant, utpote qui omni bellico apparatu copiose instructi erant. Occasio et causa belligerandi, quae cupidis alioquin fa-

(1) Cf. Plutarch. in Pericl. cap. 17.

cillima est repertu, forte fortuna non deërat (1). Corinthii, a Corcyraeis victi, Atheniensium opem implorabant; hi autem a Corcyraeorum partibus stare maluerunt. Quod cum animadverterent Corinthii, ob ereptam sibi coloniam Potidaeam jam antea Atheniensibus infesti, rem ad Lacedaemonios detulerunt, indutias (σπονδάς) (2) esse violatas Graeciaeque servitutem parari clamantes. Assensere socii, et confestim Lacedaemonii bellum decreverunt, quod Athenienses, audacter rejectis pacis conditionibus, accipere non dubitarunt.

Quantam cladem universae Graeciae hoc bellum illaturum esset, multi quidem jam tunc temporis videbant, sed calamitates ex eo ortae timorem etiam et sollicitudinem diu ante susceptam superarunt. Non agri tantum vastati, urbes deletae, exercitus occisi, sed majus etiam damnum acceptum; intestini belli furor, scelus, immanitas, Graecorum virtutem in patriamque amorem exstinxit, libertatem oppressit, vires et fortitudinem fregit. Quis, perlectis Thucydidis libris, non exclamat: Istine Graeci eorum posteri, qui Persis urgentibus pulcherrima pro patriae morte exstincti, in omne aevum nominis aeternitatem sunt consecuti? Qualis Graeciae in hoc bello conditio fuerit, exposuit Thucydides (3); qualis autem Atheniensium fusius et

(1) Thucyd. Lib. I. c. 24 seqq.

(2) Quae aliquot annis ante inter Athenienses et Lacedaemonios eorumque socios in triginta annos pactae fuerant. Thucyd. Lib. I. cap. 115.

(3) Cf. inprimis Lib. III. cap. 82—83.

accuratius Aristophanes docet. Ex his scriptoribus apparet, quanto jure Pindari verba, cum de septem ducibus Thebas proficiscentibus loquitur, in Graecos, bello Peloponnesiaco incipiente, transferri possint (1).

Στρατὸν ἄγαγον ἀνδρῶν αἰσιᾶν
οὐ κατ᾽ ὀρνίχων ὁδόν . οὐδὲ Κρονίων,
ἀστεροπὰν ἐλελί —
ξαις, οἴκοθεν μαργουμένους
στείχειν ἐπώτρυν᾽, ἀλλὰ φει —
σάσθαι κελεύθου,
φαινομέναν δ᾽ἄρ᾽ ἐς ἄταν
σπεῦδεν ὅμιλος ἱκέσθαι κ. τ. λ.

Indicto bello, Peloponnesii magno cum exercitu Atticae fines transgressi, agros flamma ferroque devastarunt, dum Pericles sapienti consilio suos intra moenia urbis aegre continuit, ne cum hoste manum consererent. Persuasit enim civibus, ut relictis agris vicisque omnes ad urbem confugerent, hostium saevitiam vitaturi; commeatum mari magna copia advehi posse ostendit, cum ipsi classibus maris imperium tenerent, neque facili negotio adversarios munitissimam celeberrimamque urbem obsidione cincturos, affirmavit. Quod detrimenti ex vastatis Atticae agris acceperant ipsi, id brevi populandis navali exercitu Laconicae oris sese compensaturos esse, arbitrabatur. Hac belli gerendi ratione Pericles fortasse victoriam reportavisset, nisi foeda pestis, ex Aegypto, ut videtur, Piraeeum delata mox etiam in urbe conferta hominum

(1) Pindar. Nemeor. Carm. 9.

multitudine oppleta saevissime grassari coepisset, absumtisque multis mortalium millibus, abripiendo quoque Pericle, gravissima rempublicam noxa afflixisset (1).

Nam hujus viri eximio ingenio res atticae ad tantum honoris potentiaeque culmen evectae, ab eodem etiam firmari et servari posse videbantur; post ejus vero mortem, civitas in insanam demagogorum libidinem incidit, qui cum periculis urbem liberare non possent, tamen non desinebant plebem falsa spe deludere et ad bellum gerendum incitare, licet optimates agricolaeque pacem esse ineundam contenderent. Non tamen hoc suadebant, quia res foris ita infeliciter gerebantur; imo sextum jam annum vario Marte pugnabatur; Peloponnesii singulos annos Atticam invasionibus devastare pergebant; contra Athenienses Potidaeam, quamvis multa opera, receperunt; Lesbos, quae defecerat, Pachetis fortitudine ad incitas redacta, graves fidei ruptae poenas dedit; Phormio mari res feliciter gessit. Sed haec laeta multis tristibus permixta erant. Plataeënsium civitas, postquam diu et fortissime parva manu contra hostium copias sese defenderat, tandem vi coacta, succubuit. In Corcyra Aetoliaque, atque alibi res ancipite fortuna gerebantur (2).

(1) Cf. Thucyd. Lib. 11. cap. 47. seqq. Fortasse Sophocles pulcherrimam pestis descriptionem in Oedipode Rege vs. 169 seqq. ex hac peste, cui ipse interfuit, adumbravit.

(2) Thucydid. Lib. II et III, nam, quae retuli, ea quinque vel sex annorum spatio gesta sunt, Pericles tertio belli anno diem obierat supremum. Thuc. II. c. 65.

Hoc rerum statu non est quod miremur, multos Atheniensium, tetro morbo tamdiu vexatos et insuper belli miseria afflictos, pacis desiderio teneri. Praesertim agricolae optabant, ut sibi ad pristinae felicitatis quietem redire liceret. Nam agrorum vastitas ob hostium perpetuas invasiones, omnem quaestus colendi spem irritam faciebat; commeatus mari advehendus annonae caritatem non levabat; deërat iis in urbe confertis ruris opulentia; insuper excubiarum difficultas belli aerumnas augebat. Quas calamitates cum cumularet demagogorum insolentia, omnes boni merito pacem flagitare, si non publice, saltem privatim, coeperunt. Quorum partibus, ut jam vidimus, addictus Aristophanes consilium cepit comoediam docendi, qua civibus per jocos ostenderet, quantopere secura pax belli periculis sit anteponenda. Itaque sexto belli anno publici juris fecit Acharnenses, primum ex iis dramatibus, quibus temporum invidia pepercit (1). Videamus, quanam ratione poëta per hanc comoediam spectatorum animos movere tentaverit.

Nomen Acharnenses (Ἀχάρνης) desumtum est a vico (δήμῳ) Acharnis, qui sexaginta stadios Athenis aberat (2). Hic vicus ceteris omnibus incolarum multitudine, opibus et virtute bellica praecellebat, nam

(1) Quarto jam belli anno Aristophanes Daetalenses, primum ejus dramatum, et quinto Babylonios scripsisse videtur, sed haec ambo non amplius exstant.

(2) Thucyd. Lib. II. cap. 21.

tria armatorum millia ex eo ad bellum profecta erant. Usque ad Acharnas Lacedaemonii omnia agere et ferre solebant. Acharnensium juventus, numero freti opibusque elati, ferocioribus animis fuisse videntur, atque ideo Aristophanes eos elegit, quorum nomine comoediam ornaret. His enim adductis ut suas partes amplecterentur, non immerito existimare videbatur se ceteris longe facilius persuasurum, ut pacem bello anteponerent. Praesertim Acharnensium intererat pacem fieri, quippe qui ex agris colendis victum quaerere debebant.

Fingitur a poëta Dicaeopolis quidam, e demo Chollis oriundus, rudis homo atque agrestis, ceteroquin civis bonus bellique ut qui maxime pertaesus, sub cujus persona Aristophanes ipse, quid reipublicae prosit, enunciet atque commendet. Hic vir, solenni comitiorum die, summo mane in Pnycem (1) adscendit, sed neque Prytanes (2) neque cives adhuc adesse animadvertit. Hoc ei bilem movet. Questus de earum rerum paucitate, ex quibus hoc tempore aliquid voluptatis percipere liceat, cum tantae gravissimi doloris justaeque irae causae adsint, civibus succenset, quia *κυρίας οὔσης ἐκκλησίας* (3) in foro obambulantes garrire malunt, quam

(1) Collis in urbe, in quo plerumque comitia haberi solebant.

(2) Prytanes, quinquaginta numero, Senatui praesidebant, concionem indicebant, resque ad Senatum populumque referebant. Vid. Potter, Arch. Gr. cap. 18.

(3) *ἐκκλησίαι κυρίαι*, in quaque *πρυτανείᾳ* quater habebantur. *Πρυτανεία* est id temporis spatium quo quaeque tribus

in concionem venire, ut de pace deliberent. Utinam, exclamat Dicaeopolis (1) urbe hac odiosa relicta, ad meum vicum redire mihi liceret, in quo omnibus rebus abundo, nec quidquam emere debeo!

Tandem Prytanes veniunt; confluit quoque plebs; magno cum tumultu alius alium trudit, ferit, clamat, ut quisque primum subselliorum locum obtineat. Quod cum videt bonus noster agricola temperare ab ira nequit, sedatoque vix tumultu, rhetorum cuicunque, qui de alia quadam re, quam de pace verba facere ausus fuerit, obstrepere eumque interpellere statuit (2).

Acerbe his agricolae verbis Aristophanes civium levitatem perstringit, qui nulli negotio magis vacabant, quam per forum obambulando, auresque variis rumoribus nuntiisque praebendo, qui quotidie ex omni Hellade Athenas afferebantur. Ob hanc curiositatem in alio dramate (3) urbem nominavit *τὴν Κεχηναίων πόλιν*. Res gravioris momenti saepius negligebantur. Infima tamen plebs ob obolum, quem quisque, qui concioni intererat, accipiebat, frequens convenire solebat; ditiores nobilesque autem, plebis et demagogorum insolentiam aegre ferentes, plerumque non aderant. Comicus conciones hasce facete depingit.

(decem tribus Athenis erant) senatui (βȣλῇ) praesidebat, nempe quatuor primae per 36, ceterae per 35 dies. — Potter, Arch. Gr. cap. 17.

(1) Vs. 19 seqq.

(2) Vs. 40.

(3) Equit. vs. 1263.

Qui ad dicendum essent parati, a praecone evocantur. Surgit Amphitheus quidam (1), ignotus homo, et affirmat, sibi soli Deos potestatem fecisse cum Peloponnesiis foederis feriundi. Sed praeco Scythis (2) imperat, ut istum nebulonem abducant. Quod cum ferre nequeat Dicaeopolis, altercatio fortasse orta esset, nisi repente legati, quos ad regem Persarum miserat populus, fuissent reversi. Hi legati, ante duodecim annos profecti, tandem ad suos penates rediisse finguntur; multa de itineris difficultate, de Persarum luxurie, de regis thesauris nugantur, eumque Atheniensibus aurum missurum esse mentiuntur. Dicaeopolis, quid rei esset, animadvertit, et valde stomachatur, quod legati, post duodecim annorum absentiam, multis drachmarum millibus temere profusis, hasce nugas meraque commenta reportare audeant. Testem promissorum Pseudartaban, regis intimum, legati adducunt, sed Dicaeopolis fraudem suspicatus, exploratis legatis, totam rem fictam esse, probat: homines isti tanquam omnibus Atheniensibus noti agnoscuntur et ridentur.

Nihilominus tamen Senatus Pseudartaban cum suis in Prytaneum vocat, eosque convivio excipit. Magnopere indignatus agricola noster, confestim ad Am-

---

(1) Jocus cum alio Amphitheo, qui multis ante saeculis Cereris sacerdos fuerat. Ceterum h. l. Aristophanes Euripidem ridet. Cf. Eurip. Iphig. in Tauride init.

(2) Semper praesidio Scytharum Athenienses magistratus utebantur, quod in foro excubias agebat.

phitheum redit, rogatque ut sibi uxorique et liberis pacem a Lacedaemoniis impetret. Dictum, factum. Ampitheus Spartam extemplo proficiscitur.

Interim Theorus, nugax quidam et insolens adulator, qui ad Sitalcen, Thraciae regem, legatus missus esse fingitur, redux in concione magnifice de regis in Athenienses amicitia loquitur. Sitalces et filius ejus tantopere iis favent, ut confestim ingens Odomantium Thracum agmen Athenas ducendum Theoro dederit. Dicaeopolis, ob novam hanc fraudem majore ira accensus, Theorum Thracesque in malam rem abire jubet, concionemque dimittendam esse clamat, quod *διοσήμεια* intervenissent (1). Praeconis jussu statim dimittitur concio.

Quantum veritatis ridiculis hisce scenis occultum latet! Nam ejusmodi fraudibus usi demagogi plebis animos, falsa auxiliorum spe erectos ad bellum gerendum semper instigabant. De legatis ad regem Persarum mittendis, qui ex immensis thesauris exhaustum Atheniensium aerarium facile replere poterat, sermones seruisse videntur, quamvis hoc tempore nondum ad regem legatos missos esse, ex historicis appareat. Ad hos igitur sermones deridendos haec legatio a poëta ficta videtur. Lacedaemonii autem, secundo belli anno, ad regem legatos miserant, quos Athenienses, sibi a Sitalce traditos, ultimo supplicio cru-

(1) *διοσήμεια*. Terrae motus, fulmen, aliaque ejusmodi mala omina si intervenissent, concionem lex statim dimitti jubebat, cf. Thucyd. Lib. V. cap. 45.

deliter affecerunt (1). Cum Sitalce revera foedus inierant Athenienses dum Potidaeam obsidebant. Opem quoque suam rex pollicitus, tamen eo tempore, quo haec comoedia acta est, ejus foederis oblitus esse videtur; nam parva tantum auxiliorum manu missa, dudum quieverat (2) Igitur summo jure Aristophanes ejus spei vanitatem risit.

Spreta ab omnibus in concione pace, Dicaeopolis sibi soli inducias accipiendas esse ratus, Amphitheum Sparta reversum convenit. Tria ille induciarum genera profert, quas, tanquam vini libationes, Dicaeopolidi gustandas praebet, ut, quas vellet, eligeret. Ambiguitas vocis *σπονδαί*, quae et libationem et inducias significat, hujus loci festivitatem mirum in modum auget, nulla alia lingua facile reddendam. Primum induciis in quinque annos prolatis gustatisque, Dicaeopolis facete (3)

οὐκ ἀρέσκουσίν μ' ὅτι
ὄζουσι πίττης καὶ παρασκευῆς νέων,

ait easque rejicit. Neque secundae in decem annos magis placent, nempe

ὄζουσι χ' αὗται πρέσβεων εἰς τὰς πόλεις
ὀξύτατον, ὥσπερ διατριβῆς τῶν ξυμμάχων.

Tertiae autem in triginta annos magno cum gaudio acceptae

αὗται γὰρ ὄζουσι ἀμβροσίας καὶ νέκταρος.

(1) Thucyd. Lib. II. cap. 67.

(2) Thucyd. Ibid. cap. 29.

(3) Vs. 190 seqq.

Quas cum probasset Dicaeopolis, Ampitheus narrat, senes Acharnenses (qui chori officio funguntur) aegerrime tulisse, ab ipso pacem ei esse datam, iraque inflatos mox adfuturos, ut meritas poenas de patriae proditore repetant. Proditorem enim esse, qui cum hostibus in gratiam redit civibusque opem in bello ferre negat. Ego saltem, ait Ampitheus, fuga ex hoc periculo me eripiam. Dicaeopolis, contemta Acharnensium ira, statim rus abit, *Διονύσια τὰ κατ' ἀγρούς* celebraturus (1).

Acharnenses senes, invasionibus hostium Acharnas direptas esse indignati, et Marathonis adhuc memores, vindictae cupidine ardentes pacis auctorem odio habent. Persecuti Dicaeopolin Bacchi festum celebrantem, eum imprudentem aggrediuntur, arreptisque lapidibus vivum obruere minantur. Agricola, terribili clamore obstupefactus quid tandem rei sit, percontatur, sed senes conviciis eum lacerare pergunt: tene, scelus, hoc quaerere? tene non atrocissima poena dignum esse, talia nefanda ausum? Verum ille, causam meam, ait, defendere non detrecto, ostendamque non Lacones solos nostrarum calamitatum auctores esse. Vos me capitis damnetis, nisi recte me fecisse luculenter probaverim. Senes non moventur. Tum Dicaeopolis, arrepto carbonum corbe, male se his usurum minatur nisi se audiant disserentem. Carbonum periculo commoti senes (nam plerique Acharnen-

(1) Vs. 202.

sium, in sylvis habitantes, carbonarii erant) ridicule cedunt, audituros que sese pollicentur. Jam Dicaeopolis, capite mensae coquinariae (*ἐπιξήνῳ*) imposito, dicturus erat, cum in mentem ei venit, quam periculosa conaretur, nam Lacedaemonios defensurus, adversariorum calumnias non immerito timere debebat. Etenim et superiore anno cum, Babyloniis actis, nonnulla contra Cleonem dixisset, iram ejus demagogi expertus erat (1). Itaque necesse est, ut prius ad bene dicendum se praeparet. Verum a quonam melius hoc doceri posset, quam ab Euripide, qui tam multos infelices reges, et heroas erudiverat, ut apte, ornate et subtiliter disserere causasque dicere valerent? Venia ab Acharnensibus impetrata, Dicaeopolis ad Euripidem se confert. At scena haec inter eum et tragicum, cum tantum inserviat ad malam in tragoediis conscribendis rationem deridendam et insultandam, neque ad nostram rem pertineat, silentio praetermittenda videtur. In Thesmophoriazusis et Ranis acrius etiam in eum comicus invehitur.

Redux ab Euripide, Dicaeopolis ad spectatores chorumque hanc orationem habet (2). Ego quidem, o cives, sum pauper, sed ne mihi succenseatis, obsecro, quod de rebus ad rempublicam pertinentibus libere disseram. Etenim nos cives soli adsumus, neque legatos socii miserunt, qui tributa auxiliaque afferrent.

(1) Aristophanes, quae sibi acciderant, in Dicaeopolin transfert. Babyloniorum drama non servatum est.

(2) Vs. 497 seqq.

Equidem etiam Lacones, ut qui maxime, odi, nam et meas vineas depopulati sunt; attamen causis bene et accurate perspectis non omnis belli culpa in eos transferenda est.

Nempe inter nos (non tamen totam civitatem incuso) inter nos fuerunt homunculi miserrimi, pravissimi, infames, qui avaritia moti, Megarensibus calumnias intentarunt, et quidquid ficuum, allii, leporum porcorumque viderent, Megarica esse clamantes, actutum publice vendi jusserunt. Majora mox perpetrata. Dissoluti juvenes scortum Megarensibus abstulerunt. Quam contumeliam ut ulciscerentur Megarenses, Aspasiae duas meretrices abduxerunt; atque

ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὐλύμπιος
ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα,

lataque lege statuit nemini Megarensium licere Athenas venire (1). Quo decreto illi paene ad incitas redacti, auxilium Lacedaemonios poposcerunt. Cumque nos decretum, trium muliercularum gratia factum, abrogare noluissemus, hi, armis sumtis, bellum nobis indixerunt. Fortasse vestrum aliquis, nefas hoc esse, dicet.

Adeone res tibi nauci videtur? Sed quid tandem

---

(1) Aristophanes ait, *νόμους ὥσπερ σκόλια γεγραμμένους* respiciens ad Timocreontis Rhodii scolion

ὤφελέν σ' ὦ τυφλὲ πλοῦτε
μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάττῃ
μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆναι κ. τ. λ.

Verba edicti contra Megarenses eadem fere sunt.

ipsi facturi fuissetis, si quis Spartiatum canem, ex insula Seripho (1) surripuisset? An quieti domi mansuri fuissetis? Non credo. Quin extemplo trecentae naves forent deductae, nautico stridore urbs tota resonuisset, hoc nos fecissemus; illos vero non idem facturos putaremus?

De causis belli Peloponnesiaci, ab Aristophane allatis, non difficile erit judicare, modo teneamus, comico ridiculosissima quaeque acceptissima esse. Fortasse quo tempore decretum contra Megarenses factum est, rumor Athenis erat sparsus, juvenes quosdam ejusmodi facinus perpetrasse, et comicus noster, quo bellum magis etiam odiosum redderet, eam ridendi occasionem libenter arripuit. Verum est, decretum contra Megarenses magnam Atheniensibus invidiam conflasse, sed nisi aliae, praeter hoc decretum, causae fuissent, ob id solum tantae molis bellum non facile exarsisset. Attamen cum a comoediae hilaritate abhorreat, de gravibus tristissimi mali causis serio disputare, Aristophanes hanc elegisse videtur, ut civibus patefaceret, omnes causas leviores esse prae diuturni belli saevitate, atque hunc ignem non Peloponnesiorum modo, sed et sua ipsorum culpa in Graecia excitatum esse. Dilucide hoc liquet e postremis Dicaeopolidis verbis. Ceterum veras belli Peloponnesiaci

---

(1) Comicus, ut rem vilissimam afferat, canem introducit, abjectum animal, ex insula Seripho, parva et sterili insula vel potius rupe in mari Aegaeo. Mira arte mox tumultum fremitumque nauticum, cum classis deducitur, describit poëta.

causas, meo judicio, recte exponit Thucydides (1) *Τὴν μὲν γὰρ ἀληθεστάτην προφάσιν, ἀφανεστάτην δὲ λόγῳ, τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους καὶ φόβον παρέχοντας τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἀναγκάσαι ἐς τὸ πολεμεῖν.* De aliis causis a Diodoro et Plutarcho allatis, nobis postea videndum erit.

Dicaeopolidis oratione chorus senum permotus, in duas scinditur partes, quarum illa recte ac vere eum dixisse contendit, haec autem ob impudentiam gravissima poena coercendum existimat. Jam vidimus populum Atheniensem etiam in duas partes divisum fuisse. Bellicosa chori pars Lamachum invocat, qui sibi cum altera chori parte altercanti praesidio foret. Celeberrimus ille dux, expeditione in Siciliam nobilissimus, vir erat strenuus, consilio validus manuque fortis, qui hoc tempore *στρατηγὸς* fuisse videtur, licet ejus nomen apud historicos nondum inveniatur. Fortasse manserat in Attica, quo crebris hostium incursionibus facilius obviam ire posset. Cum summus hicce vir, bellandi cupidine abreptus, demagogorum consilia juvaret, pacisque adversarium se gereret, ac praeterea vana militaris gloriae jactantia ridiculus esset, Aristophanes eum in scena traducit, et, quamvis meritis laudibus ejus fortitudinem extollat, ejus tamen vitia jure perstringit (2).

Lamachus, insolito tumultu accitus, hostesque jam adesse ratus, armatus prosilit. Viso duce, Dicaeopolis, armorum splendore perterritus, pallidus timorem

(1) Libr. I. cap. 23.
(2) In fine hujus comoediae.

simulat. Lepidus est Lamachus, qui hominem miseratus, arma deponit, ne scilicet infelix iste metu et terrore exanimetur. Tandem Dicaeopolis induciis suis fretus, superbius loqui incipit Lamachoque, quaerenti quisnam esset, audacter respondet:

ὅστις; πολίτης χρηστὸς οὐ σπουδαρχίδης,
ἀλλ' ἐξ ὅτου περ ὁ πόλεμος, στρατωνίδης.
σὺ δ' ἐξ ὅτου περ ὁ πόλεμος, μισθαρχίδης. (1).

Hic jocus Lamacho haudquaquam placet. Sed a populo creatus sum, ait. Indignabundus agricola: En tibi causam, exclamat, cur pacem cum hostibus conciliaverim. Quis enim ferret, senes, ut nos, operae castrensi fatigari bellique miseriis premi, cum juvenes, ut tu, oneribus liberati, magno cum stipendio in Thraciam, Siciliam, et alibi mittantur (2). Dicite mihi, vos senes Acharnenses, an unquam vestrum quis legationes obiit? Negatis. Nec vobis Ecbatana nota? non miror; talia munera ad istum Lamachum Coesyramque aliosque profligatos deferuntur. Lamachus, conviciorum pertaesus, domum se proripit, semper se contra Peloponnesios pugnaturum affirmans. Verum Dicaeopolis, pace sua laetus, omnibus Peloponnesiis, Boeotis atque Megarensibus forum praebet, ea conditione, ut sibi, non autem Lamacho vendant. Quanto lepore salibusque haec scena abundet, vix opus est, ut pluribus

(1) Vs. 595.

(2) Nomina hominum ridicule conflata hoc loco comicus coacervat, sed cum nemo istorum apud historicos obvius sit, silentio praetermittantur; Athenienses sine dubio eos bene cognoverunt.

ostendam. Homines bellicosi, ut Lamachus, demagogis acceptissimi, plebis quoque gratia florebant summosque honores adipiscebantur. Juvenes, spretis senioribus, qui consilio magis valebant, exercitibus praefecti, vel in longinquas regiones legati missi, magnam mercedem accipiebant (1). Profecto Dicaeopolis summo jure de his injuriis queritur.

Assentitur his dictis chorus, et profectis e scena Lamacho et Dicaeopolide, convertit se ad spectatores, magistrum suum, nempe ipsum Aristophanem magnis laudibus extollens (2). Etenim nunquam, etsi ab adversariis hujus criminis accusabatur, populo illuserat. Quin tantum abest, ut ille cives ludibrio habeat, ut eos potius admoneat, ne peregrinorum blandimentis diutius aures nimis faciles praebeant, fidemve legatorum commentis habeant. Nihil enim facilius esse, quam plebi speciosis verbis fucum facere, suis autem hortationibus id esse effectum, ne rursus in posterum populus ludificaretur. His similibusque rationibus poëta sua ipse merita facete commendat, inimicosque acerbe objurgat. Chorus deinde superbiam arrogantiamque queritur, qua juvenes elati senes miseros in jus vocare solebant, ut infelix ille vetulus, senio confectus, verborum subtilitate captus, damnatusque ab judicibus, omni subsidio ad vitam sustentandam privaretur, domumque quiritans se proriperet:

οὗ μ' ἐχρῆν σορὸν πρίασθαι, τοὖτ' ὀφλὼν ἀπέρχομαι (3).

(1) Colligitur hoc ex vs. 600 et 608 seqq.
(2) Vs. 626 seqq.
(3) Vs. 691.

Exemplo Thucydidis cujusdam haec misera senum Athenis conditio illustratur. Quis tamen ille Thucydides fuerit, nescio. Historicum celebrem non esse eum ex ejus historiis apparet; nam hoc tempore militabat (1). An igitur haec ad veterem Thucydidem referenda sunt, qui jam multis annis ante a Pericle ejectus in exsiliumque missus erat? Ut ut sit, satis ex chori verbis apparet quam effrenata fuerit rhetorum juniorum licentia.

Oratione et argumentis Dicaeopolis Acharnensibus persuaserat, ut pacem bello anteponendam esse faterentur. Supererat, ut etiam exemplis pacis utilitas et praestantia demonstraretur. Itaque Aristophanes fingit agricolam nostrum, omnibus vicinis civitatibus forum exhibere, in quo cuncta, quibus Athenienses ob bellum indigebant, copiose afferuntur.

Primus, qui in forum venit, est Megarensis quidam. Megara maximo semper odio Athenienses persequebantur, quod parva ista civitas, soli sterilitate pauperrima, neque terrestribus navalibusve copiis timenda tamen Atheniensium imperio plerumque obsistebat. Itaque poëta suorum in Megarenses odio morem gerendum ratus, istum in scenam produxit. Fortasse etiam *τοῦ Μεγαρικοῦ ψηφίσματος* gratia, denuo viles belli causas reprehendere ei in animo erat. Megaricus iste, fame et egestate coactus (quotannis enim regio Megarica ab Atheniensibus diripiebatur) filias suas, ne

(1) Ipse Thucydides tribus annis post, apud Amphipolin Brasidan depellere frustra conatus est. Thuc. Lib. IV. cap. 104.

fame perirent, tanquam porcos mysticos, quibus in sacris Eleusiniis utebantur, Dicaeopolidi vili pretio vendit. Scena festivissima Atheniensibus procul dubio magnopere placuit (1). Chorus Dicaeopolidis felicitatem sagacitatemque et prudentiam eximiis laudibus ornat (2).

Quae sequuntur, poëtae proposito magis accommodata videntur. Venit Boeotus quidam omni deliciarum genere oneratus, avibus, locustis, leporibus et praesertim anguillis e lacu Copaide, quibus Athenienses inprimis delectabantur. Prae gaudio exsultat Dicaeopolis, tanta deliciarum copia post sex demum annos advecta confestimque ignem suscitari jubet, *τῆσδε τῆς ξένης χάριν* (3). Sed praemium debitum pro his solvendum est. Quid Boeoto dabimus? ait Dicaeopolis; olera? pisces? tegulas? sed ejusmodi merces etiam illic inveniuntur; dandum est aliquid, quod Thebis rarum est, aut plane non reperitur. Peropportunus sycophanta Nicarchus advenit: has feras Boeotia non alit. Hunccine vis? rogat Atheniensis; annuit Boeotus; confestim sycophanta, qui jam merces istas a Boeto adductas publicare vult, a servis arreptus, tanquam tegula involutus, ne scilicet frangatur, vinctusque Boeoto traditur. Lepidissima scena est, in quae poëta non male indicat, quantis deliciis Athenienses, quia bellum paci anteposuerant, carerent.

---

(1) Vs. 779.

(2) Vs. 836 seqq.

(3) Vs. 892 seqq.

De sycophantis, quibus comicus nunquam parcit, postea plura dicemus.

Dicaeopolis, omni rerum copia abundans, pace sua beatus, festum Bacchi, quod Acharnenses interruperant, denuo parare coepit. Lamachi servulus, anguillam domini jussu emturus, abigitur. Chorus quam felix agricola sit, videns, sapientiam viri laudat et dicit (1):

οὐδέποτ' ἔγω πόλεμον οἴκαδ' ὑποδέξομαι·
οὐδὲ πάρ' ἐμοὶ πότε τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται
ξυγκατακλινεὶς, ὅτι παροίνιος ἀνὴρ ἔφυ
ὅστις ἐπὶ πάντ' ἀγάθ' ἔχοντας ἐπικωμάσας
εἰργάσατο πάντα κακὰ, κᾀνέτραπε κᾀξέχει
κᾀμάχετο.

Utinam eadem mens omnibus Atheniensibus fuisset! Praeco totum populum ad festum *τῶν χοῶν* celebrandum convocat (2). Cui edicto Dicaeopolis ut pareat, omnia necessaria, diligentissime comparari jubet. Pauper quidam agricola, cui hostes boves eripuerant, supplex rogat, ut nonnullas pacis guttulas sibi concedat Dicaeopolis, quas iste tamen precibus immotus ei crudeliter negat. Sapienti consilio Aristophanes eum ita durum finxit; nam, si hujus lacrymis motus Dicaeopolis veniam ei dedisset, pulchra comparatio inter pacis bona, bellique mala, quam instituit poëta, minus accurata et per-

---

(1) Vs. 979 seqq.

(2) *Χοὲς* secundus dies Dionysiorum Lenaeorum, sive Anthesteriorum, de quibus jam locuti sumus.

fecta fuisset (1). Verum sponsa quaedam, quae pacem rogarat, ne sponsus ad bellum proficisceretur, facile hanc veniam a Dicaeopolide impetrat (2). Quo melius etiam pax et bellum inter se conferantur, duo nuntii advolant, quorum alter Lamachum arcessit, ut agmine instructo hostibus, agros infestantibus, obviam properet, alter vero Dicaeopolin ad convivium invitat. Moestus Lamachus, quod festorum tempore, saeviente hieme, castra subire jubetur, arma induit, et quae ad bellum necessaria sunt, conquirit. Dicaeopolis contra res ad coenam instituendam utiles comparat. Agricola ducem festive insultat; nempe cum Lamachus arma telaque afferri jubet, Dicaeopolis iisdem fere verbis, utensilia cibosque adducendos curat (3):

Lam. *ἔνεγκε δεῦρο τῶ πτερῶ τῶ 'κ τοῦ κράνους.*
Dic. *ἐμοὶ δὲ τὰς φάττας γε φέρε καὶ τὰς κίχλας.*
Lam. *καλόν γε καὶ λευκὸν τὸ τῆς στρουθοῦ πτερόν.*
Dic. *καλόν γε καὶ ξανθὸν τὸ τῆς φάττης κρέας.*
Lam. *φέρε δεῦρο γοργόνωτον ἀσπίδος κύκλον.*
Dic. *κἀμοὶ πλακοῦντος τυρόνωτον δὸς κύκλον. κ. τ. λ.*

Diu pergit hisce *παρῳδίαις* Lamachum irritare, donec hic gemebundus ad proelium abit, ille vero laetus ad convivium festinat.

Mox redit a proelio Lamachus, fusis quidem hostibus sed vulnere saucius, misere ejulans infortuniumque deplorans, eodemque tempore Dicaeopolis ebrius

(1) Conf. Wieland, in versione Germanica hujus dramatis.

(2) Vs. 1066.

(3) Vs. 1103, 1124.

et temulentus e convivio revertitur. Lamacho viso, conviciis non temperat illuditque vulnerato. Tandem Lamachus ad medicum Pittalum defertur, et Dicaeopolis, magno calyce hausto victor renunciatus, a choro domum deducitur. Omnes scenam relinquunt, finisque dramati imponitur.

Aristophanem hanc fabulam composuisse ad pacem commendandam dubitari nequit. Intra sex annos, multis bello occisis, plurimis peste absumtis, exhausto ferme aerario, vastatis Atticae agris incolisque omnibus in urbe confertis, nihil sane tranquilla pace optatius utiliusve esse poterat. Neque sociorum fides satis certa videbatur, ac, si Peloponnesii Lesbiorum defectioni in tempus subvenissent, ceterosque Atheniensium socios non subornassent tantum, verum etiam praesidio auxilioque juvissent, Athenae magno in discrimine versatae fuissent. In ipsa urbe gravius etiam malum. Respublica enim non Periclis prudentia consiliisque, sed Cleonis audacia et temeritate regebatur. Si Peloponnesii primis annis bellum acrius gessissent, et summa concordia, maximis, quibus valebant, viribus uti voluissent, vix dubitandum mihi videtur, quin non Aegos Potami tandem, sed ipsius Atticae fines mox incolarum clade nobilitati fuissent. Itaque pace suadenda boni civis officium Aristophanes praestitit, cum Acharnensibus, quantum inter pacis laeta bellique incommoda interesset, exponeret. Falsam esse auxiliorum spem, qua illudere demagogi plebi et blandire solebant, luculenter ostendit; causas belli, comice qui-

dem, sed tamen vere, manifestat, et auctores vehementissime objurgat. Fatendum est civem, qui, ut Aristophanes, obscuro loco natus, nec unquam ullo munere, ut videtur, functus, ac tantum arte comica insignis erat, numquam melius patriae consulere potuisse quam ipsa poësi optima quaeque suadendo, hominesque et vitia acerrime insectando. Spectatores summo jure eum salutare poterant

τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον
ὅστις παρεκινδύνευσεν Ἀθηναίοις εἰπεῖν τὰ δίκαια (1).

(1) Vs. 644.

CAPUT TERTIUM.

EQUITES.

Λοιδορῆσαι τοὺς πονηροὺς, οὐδὲν ἔστ' ἐπίφθονον
ἀλλὰ τίμη τοῖσι χρηστοῖς, ὅστις εὖ λογίζεται.

Celeberrimam hancce Aristophanis comoediam (1) legentibus dubium fortasse erit, quid magis mirentur utrum poëtae audaciam qui populum ipsum tanta salium acerbitate perstringeret, an populi levitatem, quae istiusmodi jocos cum patienter ferre, tum risu quoque excipere posset. Nondum lege cautum erat, ne quis rempublicam populumve ludibrio haberet, quod postea decretum fuisse, refert Xenophon (2);

(1) Meermannus vir amplissimus in libro Belgice scripto: Athenen onder Cleo, eam vertit, sed, meo judicio, Aristophani iniquior est.

(2) De Rep. Ath. cap. 11, 18. *Κωμῳδεῖν καὶ κακῶς λέγειν τὸν δῆμον οὐκ ἐῶσιν, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς.*

alioquin Aristophanes sine dubio comica licentia non ita abusus fuisset, ut eam legem violare auderet. Neque etiam ob hanc, neque ob aliam comoediam unquam in jus vocatus est poëta, nisi a Cleone, quocum privatas inimicitias exercebat. Nam Cleo comico infensus, quia ab eo in Babyloniis traductus fuerat, eum accusaverat quod is falso pro cive Atheniensi se gereret, sed poëta ab judicibus absolutus est (1). Privatis igitur inimicitiis odium incensum est, quo comicus omnesque boni factiosum istum et perditum demagogum persequebantur, et cum iste, servato Pylo captisque in Sphacteria Spartanis gloriatus, maxima plebis gratia floreret, Aristophanes consilium init in eum audacter gravissimeque invehendi, ut, detectis istius fraudibus sceleribusque, plebem stultitiae convinceret, quod a pravissimo quoque decipi se pateretur. Qod ut tutius efficeret, Equitum nomine fabulam ornavit; quippe cui ordini Cleo maxime invisus semper fuerat. Equites enim, ex Solonis instituto secunda civium classis, nobilitate clari divitiisque potentes, nequissimi demagogi impudentiam ferre haudquaquam poterant, et fraudem quandam, ab eo in aerarii damnum paratam, nuper detexerant (2). Itaque horum ope forsitan fretus comicus, istius minas spernere non timebat.

Comoedia, non ob audaciam tantum saliumque, imo fellis amaritudinem, qua reliqua comici dramata longe superat, notanda est, sed etiam ideo lectione

(1) Cf. Acharn. 377 et Schol. ibid.

(2) Acharn. vs. 7 ibid. Schol.

dignissima, quod nemo interlocutorum ficta persona est; ipsa plebs (δῆμος) in scenam traducitur; celebres in republica viri ridentur. Idcirco ejus temporis historiam moresque interlocutorum cognoscamus, necesse est, ut recte de ipsa fabula judicemus.

Inter demagogos, qui, post mortem Periclis, aura populari captanda rempublicam suo arbitrio regere adorti sunt, primum locum tenebat Cleo, Cleaeneti filius coriarius, homo, nec generis nobilitate insignis, neque opibus pollens ingeniive praestantia admirandus. Sed oris impudentia linguaeque protervitate, magnos in civitate viros allatrare ausus, malis artibus magnum sibi plebis favorem conciliavit. Nec ipsi Pericli pepercit, teste Plutarcho (1). Quanta autem auctoritate, illo viro jam mortuo, fuerit, refert Thucydides (2) qui Cleonem vocat *βιαιώτατον τῶν πολιτῶν, τῷ τε δήμῳ παραπολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατον*. Cum enim Mitylenaei ab Atheniensibus descivissent quintoque belli anno, Pachete imperatore, victi fuissent, dux Athenas misit, qui rogarent, quid fieri placeret. Cleo in concione pervicit ut viri puberesque interficerentur, mulieres autem puerique in servitutem abducerentur. Verum postero die civitatem hujus crudelitatis poenituit; concio convocatur; frustra obnitente Cleone, Diodotus persuasit, ne tam dirum supplicium de miseris sumeretur. Navis, quae hoc decretum Mitylenen deferret, forte advenit, antequam Paches cru-

(1) Plut. in Pericl. cap. 33, 35.

(2) Lib. III. cap. 36 seqq.

dele plebiscitum exsecutus erat. Itaque invito Cleone, Mitylenaei servati sunt. Cleonis auctoritas, re quadam casu magis quam consilio feliciter gesta, magnopere crevit. Septimo belli anno Atheniensium classis, in Corcyram missa, ventis adversis in portu Pyli tenebatur. Hicce locus tunc temporis desertus, tamen excursionibus in hostium agros faciendis peropportunus erat. Situs in Messeniae littoribus, pulcherrimo portu instructus, quadringentos tantum stadios ab urbe Sparta aberat, et natura ita munitus videbatur, ut parvo praesidio teneri posset. Demosthenes ducibus Eurymedonti et Sophocli persuadere tentat, ut locum praesidio firment. Hi tamen abnuere. Sed milites ipsi mox ad opus sese accingunt; brevi tempore munimento Pylos circumdatur, et ipse Demosthenes cum parva manu navibusque quinque ibi relinquitur. Res Spartam perlata, insolito omnium animos pavore percellit. Extemplo exercitus, relicta Attica, ubi quindecim dies moratus erat, adduci, terra marique Pylos oppugnari. Sed virtutem Brasidae Demosthenis diligentia elusit. Peloponnesii, trecentos circiter Spartanorum nobilissimos in insulam Sphacteriam, ante portum extensam, trajiciunt, ut undique obsessi Athenienses commeatu privarentur. Supervenit obsidentibus Attica classis; naves Lacedaemoniorum statim in ipso portu submersae, aut captae; trecenti Spartiates in insula deserta sterilique interclusi. Horum periculum magistratus Lacedaemonios ita movit, ut traditis navibus et pactis induciis, legatos Athenas de pace concilianda mitterent. Verum Athenienses, fortuna elati, et insuper

a Cleone instigati, nisi durissimis conditionibus pacem dare noluerunt. Quibus rejectis, bellum ad Pylon denuo exarsit; naves, quas Lacedaemonii inimicis ea conditione tradiderant, ut, rejecta pace, redderentur, turpi fraude Athenienses retinuerunt.

Dum Peloponnesii terra Pylon obsident, et Athenienses frustrantur spe Sphacteria celeriter potiundi, res trahi coepit; plebem Atheniensem diuturnae obsidionis taedere; increpari Demosthenes. Quid enim facilius, quam interceptos sterilique insula inclusos hostes ad incitas redigere? At quam diligentiam Athenienses observabant, ne hostes commeatum acciperent, eadem quoque et majori etiam cura annitebantur Lacedaemonii, ut suos auxilio juvarent. Tandem Cleo eo audaciae procedit, ut in concione, se brevi tempore, modo imperium sibi detur, rem perfecturum jactaretur. Nicias, extemplo: age, sodes, inquit, ego imperium tibi cedo. Perterritus Cleo tergiversari, non se, sed Niciam imperatorem esse, causari. Plebs autem, quae hac altercatione delectabatur, Cleonem coëgit, ut imperium oblatum acciperet. Cum iste animadverteret, se detrectando nil proficere, accipit solitaque audacia pollicetur: se intra viginti dies aut Lacedaemonios captos adducturum, aut ibi fortiter moriturum. Risere omnes promissi vanitatem, sed boni gaudebant, quod aut respublica furioso demagogo liberaretur, aut hostes magna clade percellerentur. Cleo, tum temeritate tum fortuna fretus Sphacteriam profectus, incensa forte sylva, qua insula consita erat, Lacones aggressus,

omnes captos Athenas adduxit. Pylos obsidione liberata, Messeniis data est (1).

Rei tam bene gestae gloria vanam Cleonis jactantiam superbiamque eum in modum auxit ut qui primo molestus fuerat plane intolerandus evaderet. Laudes, Demostheni debitae ob operam impigre fortiterque navatam, omnes in Cleonem collatae sunt, summusque dux inglorius Athenas rediit. Nicias contemtus, qui tantam decoris acquirendi occasionem ignavia et timore Cleoni reliquisse existimabatur. Sed videamus, num ambo duces digni fuerint, qui prae Cleone spernerentur.

Demosthenes, vir ingenii ferocis et bellicosi, ex quo bellum inceperat, bonum ac strenuum ducem se gessit, exercitui in Acarnania praefectus, ubi socios Atheniensium a Lacedaemoniorum vi defendit. Aetolos Ambraciotasque saepius signis collatis devicit, semel tantum, incautius in Aetoliae montes sylvasque agmine ducto, circumventus insidiis profligatus est, quam tamen ignominiam mox, magno proelio devictis Ambraciotis, ultus est (2). Ceterum quis dubitaret, eum et consilii plenum manuque fortem fuisse, qui parva manu obsessam Pylon contra magnas hostium copias Brasidaeque virtutem defendisset?

Nicias nobis magis notus est, quippe quem Plutarchus dignum judicavit, cujus vitam conscriberet. Homo, minime audax, imo timidus, pacis amans ta-

(1) Thucyd. Lib. IV. 4—44. Diodor. Sicul. Lib. XII. qui tamen non accurate rem refert. Plutarch. in Nic. 7.

(2) Thucyd. Lib. III. 94—99.

men ab honoris studio gloriaeque cupidine non ita alienus erat, ut plebi auram captare plane nollet, nam choregiis ac ludis eam sibi conciliare conabatur. Ingentibus enim divitiis suis fretus, largitionibus quam aperta vi Cleoni obsistere malebat. In bello ita cautus et prudens esse solebat, ut Euripidis versiculus in istum quadret:

ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θράσυς στρατηλάτης (1).

Plerumque ex acie superior discessit, et paulo post Pyli liberationem, eadem aestate cum copiis et equitatu in Corinthiorum terram profectus, Corinthios fudit fugavitque (2). Plebis tamen iram calumniasque sycophantarum reformidans, invitus prope magistratus et imperia accipiebat, ne ostracismo, exsilio similive poena ab iracunda plebe afficeretur (3). Nihilominus optimis civibus Nicias annumerandus est. Quid reipublicae conveniret, optime perspexit. et, cum semper pacis auctor fuisset, eam etiam, Cleone apud Amphipolin occiso, suo nomine ornatam Graecis civitatibus donavit. Magnus ille vir, modo magis fi-

(1) Euripid. in Phoeniss. vs. 608.

(2) Thucyd. Lib. IV. cap. 42.

(3) In hanc munerum detrectationem Niciae Plutarchus fragmentum *τῶν Γεώργων*, comoediae Aristophanis hodie deperditae, servavit. Nic. cap. 8.

A. *ἐθέλω γεωργεῖν.* B. *εἶθα τίς σὲ κωλύει;*
A. *ὑμεῖς. Ἐπεὶ δίδωμί χιλίας δραχμὰς*
ἐὰν μέ τῶν ἀρχῶν ἀφῆτε· B. *Δεχόμεθα*
δισχίλιαι γάρ εἰσι συν ταῖς Νικίου

aliorum comicorum in eum ludibria cap. 4 inveniuntur.

dens animi, audacior minusque superstitiosus fuisset, damnum, Periclis morte acceptum, forsitan compensavisset.

Aristophanes in Equitibus fingit Cleonem, Nician et Demosthenem servos esse Demi cujusdam, senis difficilis, morosi, subiracundi et litigiosi, sub cujus persona ipse populus Atheniensis latet. Quanta cum arte hujus populi mores comicus depinxerit, ex ipso dramate cognoscemus.

Demosthenes et Nicias graviter queruntur de tristi servitute, quam ambo serviunt, ex quo dominus Demus nuper coriarium quendam, ex Paphlagonia oriundum (sed verbum πάφλαζειν, quod de aqua fervente dicitur, hoc loco subintelligitur) emerat. Novus iste servus brevi domini gratiam sibi conciliat, ceterosque servos ita vexare coepit, ut illi, quo se vertant, nesciant. Quidquid faciant, quidquid parent, ut apud dominum gratiam ineant, omnia scelestus iste inutilia reddit: cibos a ceteris coctos surripere non veritus, domino, tanquam sua manu paratos, affert. Cum ipse, ait Demosthenes (1) nuper placentam Laconicam in Pylo subegissem, Paphlagon repente advolat paratamque mihi surripit ac domino, tanquam suam, offert. Praeterea calumnias nobis intentat; vapulamus, nisi ejus avaritiae pecuniam gratificemur. Hoc non amplius ferendum; fugiamus, o Nicia. Sed ad quem? aut quo? Deliberant, quid optimum sit factu. Transfugere ad hostes, ob Cleonis custodiam omnia suspicantis, non

(1) Vs. 41 seqq.

licet. Itaque moriamur, ait Nicias, ut quondam Themistocles, tauri sanguinem bibentes (1). Non placet hoc mihi, praestat enim vinum, idque merum bibere, respondet Demosthenes. Vino nihil est utilius efficaciusque ad bona consilia ineunda. Assentitur Nicias et clam vinum, dormiente Paphlagone, surreptum affert. Exhaustis aliquot poculis, ambo oracula, quibus Cleo maxime fidit, auferenda esse arbitrantur, ut videant, quonam in statu res istius futurae sint. Ex his oraculis liquet, rempublicam primo gubernandam fuisse a stuppario, seu lini venditore (στυππειοπώλης) (2). Hoc refertur ad Eucratem, quendam obscuri nominis demagogum, qui, mortuo Pericle, turbas movisse videtur. Quo dejecto, ovium venditor (προβατοπώλης) rerum potitus, plebem moderabitur, quo nomine Callias et Lysicles, non magis Eucrate noti, indicantur. Hos victos ejiciet coriarius (βυρσοπώλης) Cleo, omnium nequissimus. Neque ab ullo unquam iste superandus erit, nisi a pejore quodam et turpiore, nempe, a farciminum venditore (ἀλλαντοπώλης).

Cum ambo duces servorum personas agant, istorum quoque moribus et sermone utuntur; idcirco joci querelaeque, illis viris indigni, excusari debent. Timida et religiosa Niciae indoles bene servatur; Demostheni levitas et incuria quaedam tribuitur. Est sane, quod miremur, Aristophanem viros tam egregie de republica meritos spectatoribus deridendos proposuisse

(1) Vs. 80 seqq.

(2) Vs. 119 seqq. Hujus Eucratis meminit etiam vs. 254.

praesertim cum illi Cleonis insolentiae infesti essent; at Demosthenes, licet istum oderit, minime pacis studiosus erat, ideoque ab Aristophane merito reprehendebatur. Nicias ob ignaviam timiditatemque acerbius etiam castigandus erat.

Mirantibus ambobus, quisnam foret ille ἀλλαντοπώλης forte advenit fartor, quem Demosthenes comiter allocutus, quid rei sit, docet. Initio non credere fartor et sese ludi putare. Cui autem cum ostendisset urbem, comitia, portus, naves coloniasque, videsne, inquit, quanta tuo imperio subjecta sint? Cleone enim pulso, haec omnia tuae ditionis facturus es. Mene rerum potiturum, exclamat fartor, qui nihil plane sciam, nullisque artibus instructus sim, quibus ad tantam molem regendam mihi opus foret? — Bono sis animo, facillime rempublicam capesses (1):

ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους,
ἀλλ' εἰς ἀμαθῆ καὶ βδελυρόν.

Oraculo recitato et explicato fartor tandem Demostheni credit — Sed quomodo rem arduam aggrediar? — Facillime

τάραττε, καὶ χόρδευ' ὁμοῦ τὰ πράγματα
ἅπαντα, καὶ τὸν δῆμον αἰεὶ προςποιοῦ
ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικοῖς.
τὰ δ' ἄλλα σοι πρόσεστι δημαγωγικά,
φωνὴ μιαρά, γέγονας κακός, ἀγοραῖος εἶ·
ἔχεις ἅπαντα πρὸς πολιτείαν ἃ δεῖ (2).

(1) Vs. 191.
(2) Vs. 214.

Praeterea Equites, omnesque boni, sociorum operam tibi praestabunt, neque ego desum.

Quibus peractis, repente Cleo magno cum clamore strepituque advolat, eosque, quod proditionem moliantur, acerbis conviciis lacerat (1). Par pari referunt Demosthenes, fartor et chorus Equitum, impetumque in invisum hominem facere parant. Altercatio, quae inde inter Cleonem et fartorem oritur, felle acerbissimisque salibus abundat, sed, cum Cleo et fartor, infimo loco nati, insuper servorum moribus uti fingantur, joci facetiaeque non ejusmodi sunt, ut cultioribus auribus admodum placere possint. Verbis ex sua arte petitis uterque, coriarius et fartor, se invicem proscindunt. Chorus fartorem incitat, ut scelestum et impudentem coriarium sua nequitia atque inverecundia devincat et pellat, nam isto tantum modo Cleo superari et ad incitas redigi posse. Omnia Cleonis flagitia recensentur. Quibusnam fraudibus socios insulanos circumvenire soleat, quibus artibus populo fucum facere, qua malitia peculari, peregrinosque impudens vexare audeat, fartor chorusque ei exprobrant (2). Cleo contra suis meritis captisque Lacedaemoniis in Sphacteria gloriatur, seque majora etiam gesturum promittit. Neque minore vanitate fartor sese jactat. Tandem Cleo: ego vos omnes,

(1) Aristophanes ipse personam Cleonis agere debuit, quia nemo personam ejus demagogi suscipere ausus est, ut ex vs. 230 liquet.

(2) Vs. 258 seqq.

inquit, ne flocci quidem facio, dum Senatus vivit, populusque insanit (1). Exemplis e juventute allatis fartor astutiam suam consiliique calliditatem demonstrat, ut videat Cleo, quanto et quali cum viro sibi res sit. Quod non ferens Cleo, minari incipit (2):

Ἐγώ σε παυσω τοῦ θράσους· οἶμαι δὲ μᾶλλον ἄμφω.
ἔξειμι γάρ σοι λαμπρὸς ἤδη καὶ μέγας καθίεις,
ὁμοῦ ταράττων τήν τε γῆν καὶ τὴν θάλατταν εἰκῆ.

Chorus et fartor hanc vaniloquentiam rident, Cleonemque verberant. Proditionis, conjurationis, corruptionisque crimina ei objiciuntur. Cleo ad senatum tandem se proripit, adversarios indicaturus, et fartor extemplo sequitur, ut se sociosque ab ejus calumniis defendat.

Tametsi odio et ira inflammatus Aristophanes crimina Cleonis comice aggravasse censendus est, tamen ex historicis scriptoribus apparet, Cleonem multis ejusmodi generis criminibus obnoxium fuisse. Quid de Mitylenaeis crudeliter statuerit, supra jam vidimus. Idem bis impedivit, quominus honorifica pax conciliaretur, atque ideo insequentium infortuniorum auctor dici potest. Quis bonorum talem rabulam ferret? Nihilominus tamen plebi mirum in modum gratus et acceptus erat. Narrat Plutarchus (3), cum populus aliquando, convocatis comitiis, eum qui verba facturus

(1) Vs. 397.

(2) Vs. 429.

(3) In Nicia cap. 7.

esset, diu frustra exspectasset, tandem advenisse Cleonem coronatum et dixisse: differatis, o cives, concionem, nam hospites convivio excepi, itaque hodie non vaco; et magno risu concionem extemplo dimissam fuisse. Nonne summo igitur jure comicus in eum invehitur, quem non puduit, totum populum sic ludificari?

Chorus, absentibus Cleone et fartore, in parabasi Athenienses increpat, ob ingratum erga comicos poetas animum (1). Nonnullis Aristophanem rogantibus, cur non ipse etiam chorum sibi a chorego posceret, et in scenam prodiret, respondet: at Magnes, Cratinus et Crates, qui hoc fecerunt, nunc negliguntur, quamvis arte comica praestent; hoc ipse etiam timeo, atque ita sero me ad opus accingo, remque periculosam aggredior sperans fore ut, praemio accepto, omnium ore semper celebrer. In secunda chori parte, Equites semet ipsi laudant, quod fidelem patriae operam navantes, tamen praemia non poscerent, ut ceteri duces, qui pugnaturos se negant nisi publice in Prytaneo alantur. Equites hanc laudem merebantur, nam revera sine stipendio militabant. Partem hujus laudis facete in equos suos conferunt, qui navibus onerariis impositi, atque in Corinthiorum terram transvecti, fortissime se gesserant (2).

Eadem levitate, qua Dicaeopolis de causis belli

(1) Vs. 506.

(2) Cf. Thucyd. Lib. IV, 42. Nicias in hac pugna Battum, Corinthiorum ducem, apud collem Solygium vicit.

cum Acharnensibus locutus erat, fartor reversus choro narrat, quo modo senatum ad suas partes traxisset. Dum enim Cleo de conjuratione malignisque consiliis ejus ad Senatum referebat, fartor, nulla defensione usus, alta voce clamat: nunquam ego, o viri, apuas (1) minore pretio venales vidi, ut censeam pro hac fortuna magnas Diis habendas esse gratias. Senatus, gulae majore quam reipublicae ratione habita, tantum ex isto nuntio gaudium percipit, ut, omissis Cleonis argumentis, omnes ad fartorem se convertant. Frustra Cleo Senatus favorem denuo sibi conciliare studet, de pacis conditionibus se relaturum vociferans. Omnes ei succensent. Quid? nunc de pace ageremus? Lacones forsan audiverunt, apuas tam vili pretio apud nos esse, et tantae fortunae participes fieri cupiunt. Apage cum pace tua (2). Cleo Senatu ejicitur; fartor interim coriandrum inter Senatores gratis dividit, quo condimento ad pisces uterentur. Collaudatus ob hanc munificentiam laetus choro nuntiat, Senatum, pulso Cleone, a suis partibus stare.

Ecce furens ira revertitur Cleo horrendisque minis fartori timorem incutere conatur (3): Demus mihi favet, mihi semper morem gerit; merito snpplicio ille te afficiet. Opprobria uterque sibi invicem ingerunt. Vocatur tandem senex ipse Demus, qui imaginem populi Atheniensis praeclaram refert; eadem levitas, inconstantia, stoliditas, et vanitas, qua minima quaeque blandimenta lubens accipit, huic seni tribuuntur. Causam ambo ejus judicio dirimendam permittunt, et invito fartore in Pnycem, solenne comitium, adscendunt. In quovis enim alio loco fartor causam dicere maluerat, quam in hac rupe, quia senex, domi quidem longe sapientissimus, in concione semper insanire solebat (1).

(1) Apua, ἀφύη priscium genus, quo Athenienses delectabantur.

(2) Vs. 623 seqq.

(3) Vs. 690 seqq.

Cleo per Minervam jurat, se, post Lysiclem (turbulentum demagogum) et Cynnam et Salabaccham (meretrices), longe optimum esse civem totius civitatis; et, si Demum non amat, crudelissimum supplicii genus se non recusare. Fartor ejusmodi quoque verbis amorem fidemque suam confirmat. Cleo tum meritis suis gloriari. — Tene de Demo meritum esse? exclamat adversarius, qui nunquam huic seni in dura rupe sedenti pulvinar dedisti, ut lenius molliusque sedeat? Eia, accipe, o Deme, hoc tibi dono cervical. Demus, « homo, quisnam tu es? num Harmodii nepos?" admiratus dicit. Pergit fartor: et te, o scelus, nonne miseret hujus popelli, qui octavum jam annum misere in urbe confertus, hic et illic habitare coactus est? Legatos, pacem offerentes tu semper abegisti (2). Cleo respondet: bono consilio hoc feci, ut Demus totam Hellada in su-

(1) Vs. 751.

(2) Fartor loquitur de agricolarum multitudine qui, relictis agris, in urbem confugerant, ibique tam diu habitare cogebantur, quamvis vix locus superesset.

am redigeret potestatem. — Mentiris, tantum id egisti, ut ubique praedam agere posses, modo populus, bello occupatus, tua scelera clam perpetrata non animadverteret. O si populus in agro frumentum recens gustaret, profecto, qualis tu vir sis, intelligeret! — Verum ipse Themistocles urbi non magis profuit, quam ego. — Tene Themistoclis similem? Dii boni! ille nostram urbem amplificavit, coenam nostram novis dapibus auxit, tu contraria facis; tibi ipse, deceptis sociis, divitias parasti (1). Quibus fartoris verbis motus Demus, mali quid de Cleone suspicari incipit, quam suspicionem auget fartor, ostendens, arma, apud Pylon capta Deorumque in templis suspensa, facili negotio a Cleone sociisque ejus audaciae res novas molientibus, occupari posse. Senex jam timet, et frustra Cleo vociferatur: Noli credere, o Deme, certiorem amicum tibi esse, quam me; ego cunctos, qui turbas in urbe movere possunt, solus observo, teque ab inimicorum impetu defendo. — Recte dicis, ait fartor, nam

ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι πέπονθας.
ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ λαμβάνουσιν οὐδέν·
ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν,
αἱροῦσι· καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς (2).

Apposite ac vere hoc animadvertit Aristophanes, nam omnium gentium historia hanc comparationem, quae apud nonnullas in proverbium etiam abiit, com-

(1) Vs. 812.
(2) Vs. 863.

probat. Nam nullam aliam ob causam res novas molientes rempublicam seditionibus et bellis turbant, quam ut ipsi aliquid emolumenti inde capiant.

Iterum parvis munusculis fartor senis gratiam captat. Cleo quoque nonnulla donat, quae senex indignatus rejicit, utpote quae corium pellesque redolent. Jam res eo usque procedit, ut Demus, collaudato fartori annulum Cleoni ademtum tradat. Verum apparet, Cleonem turpi fraude annulum mutasse. Iratus Demus confestim graviter in scelestum animadvertisset, nisi Cleon supplex rogasset, ut prius oracula recitantem se audiat. Idem fartor poscit, amboque ad oracula efferenda festinant. Chorus interim parvo carmine in Cleonem invehitur, quem a pueris jam maligno indocilique ingenio fuisse increpant. Attamen si iste non magnos in civitate honores adeptus fuisset, utilissima supellex ignota foret, nempe pistillum mortarii (*δοίδυξ*) et tudicula (*τορύνη*) quibus cibi in mortario atque in olla miscentur et franguntur. Idem officium Cleo in republica praestat (1).

Sordidam rationem, qua fartor apud Demum gratiam init, deridendi demagogos, ejusmodi et aeque sordidis blandimentis utentes, causa confictam esse, pluribus ostendere non attinet. Neminem quoque fugit quantum comicus turpia ista adhuc pro more suo exaggeraverit, etsi fundamentum, quo hic joci nituntur, repertu facillimum est. Merito turpissimas demagogorum assertiones fraudesque exagitat Aristopha-

(1) Vs. 986.

nes; quantopere isti quietae reipublicae conditioni nocuerint, historia sequentium annorum demonstrat. Quin et aetas, qua nos vivimus, exempla plurima afferre potest, quanto damno civitates affligat effrenata demagogorum audacia.

Allatis oraculis, Cleo Demi vanitati, maxime quaeque pollicendo, blanditur (1). Sed fartor, ex suis recitat, res Atheniensium fore securas ac stabiles, modo Cleo pellatur. Explicatio horum oraculorum ridicula et comico digna est. Demus, fartoris promissa sibi magis quam Cleonis oracula, placere profitetur, atque infelix Cleo fragili spe tantum nititur. Etenim Demus utrumque cibos sibi parare jubet; qui plura ac meliora parasset, ei se Pnycis habenas traditurum affirmat (2). Properant ambo, ut Demi jussa exsequantur.

Colloquium quod, iis absentibus, inter chorum et Demum habetur, animadversione dignum mihi videtur. Etenim Aristophanes, tanquam metuisset, ne jocis suis populum irritaret, Demum se defendentem in hoc colloquio facit. Locus jucundissimus et facetiis plenus est; itaque eum adscribam (3). Dicit enim chorus: o Deme, pulcherrimum imperium tenes ut cuncti te timeant dominumque salutent; sed nimis facile decipi te sinis blanditiisque rhetorum et demagogorum nimis facilem aurem praebes:

---

(1) Vs. 996.

(2) Vs. 1106. τῆς πνυκὸς τὰς ἡνίας.

(3) Vs. 1110 seqq.

ὁ νοῦς δέ σου
παρὼν ἀποδημεῖ.

Respondet Demus:

νοῦς οὐκ ἔνι ταῖς κόμαις
ὑμῶν, ὅτι μ' οὐ φρονεῖν
νομίζετ', ἐγὼ δ' ἑκὼν
  ταῦτ' ἠλιθιάζω.
αὐτός τε γὰρ ἥδομαι
βρύλλων τὸ καθ' ἡμέραν·
κλέπτοντά τε βούλομαι
τρέφειν ἕνα προστάτην·
τοῦτον δ' ὅταν ᾖ πλέως,
  ἄρας ἐπάταξα.

Rectissime facis, chorus respondet; nam ita consilio optimo eos in Pnyce saginas; cum esuris ciboque indiges, eos mactatos edere potes. Demus pergit.

σκέψασθε δ' ἔμ', εἰ σοφῶς
αὐτοὺς περιέρχομαι,
τοὺς οἰομένους φρονεῖν
  καί μ' ἐξαπατύλλειν.
τηρῶ γὰρ ἑκάστοτ' αὐ-
τοὺς, οὐδὲ δοκῶν ὁρᾶν,
κλέπτοντας· ἔπειτ' ἀναγ-
κάζω πάλιν ἐξεμεῖν
ἅττ' ἂν κεκλόφωσί μου,
  κημὸν καταμηλῶν·

Ingeniose comicus hanc simplicitate eximiam facetiisque jucundam defensionem excogitavit. Ne tamen majestatis, ut ita dicam, accusari posset, poëta in

fine hujus comoediae sibi cavit. Cleo fartorque cibos paratos afferunt; ille placentas Pylo adductas aliaque ejusmodi Demo donat, fartor frumentum et dapes ab ipsa Pallade coctas apponit. Sed Cleo leporinam carnem, qua Athenienses delectabantur, etiam affert, quam fartor dare nequit. Fere Paphlagon vicerat; sed fartor legatos pecuniam afferentes arcessit, qui leporinae carni longe praeponuntur. Videamus nunc, ait fartor, o Deme, uter nostrum plura tibi dederit. En tibi capsam meam, nonne vacua est? nam omnia tibi dedi. Perscrutare, si placet, Paphlagonis cistam cibariam. Dictum, factum, at Cleonis arca deliciis omnis generis repleta invenitur, quarum parvam partem Demo condonaverat. Confestim Demus eum imperio se abrogare jubet. Non antequam explorarim, respondit Cleo, num oraculum, quod me pulsum iri portenderit, in istum quadret. Inquirit itaque in fartoris natales, vivendi, quaestusque faciendi rationem. Luce clariora cuncta; fartor hicce idem est, quem Apollo designaverat. Quiritans gemensque Cleo, deposita corona, scenam relinquit, imperiumque suum fartori tradere cogitur (1).

Fartori, cui nomen est Agoracrito, Demus senectutis suae curam committit. Annitar pro viribus, ut te juvenem reddam novumque vigorem tibi impertiam. Quod promissum ut praestet Agoracritus, senem secum domum abducit. Chorus laudibus Agoracriti merita ad coelum effert, et in reliquos malevolos

(1) Vs. 1246.

acerrime invehitur. Inprimis Hyperbolus facete ab ipsis navibus ridetur. Rogarat enim hicce naves, quibus Chalcedona, quae nuper, ut videtur, defecerat, reciperet, sed non impetraverat. Ipsae de eo colloquentes introducuntur, dicentes se naufragio perire malle, quam ab isto gubernari (1).

Quis fuerit Agoracritus seu fartor, non liquet. Nonnullorum opinio, qui Hyperbolum eum fuisse dicunt, ex ipsa fabula refellitur (2). Nam chorus, in Hyperbolum saepius invectus, Agoracritum laudibus ornat. Quae Agoracritus fecisse fingitur, postquam Cleonem pepulerat, ab Hyperboli alteriusve demagogi moribus valde abhorrent. Quippe qui initio rudis, impudens, ipsoque Cleone pejor habendus erat, is repente optimus fit, maximaque in Demum beneficia confert. Quamobrem ficta Agoracriti persona mihi videtur, quam Aristophanes eo consilio adhibet, ut significet, populi mores ingeniumque plane mutanda esse, si Athenienses pristinam gloriam et felicitatem unquam recuperare vellent.

Magna cum laetitia Agoracritus senem Demum, in juvenem transformatum ad Equitum chorum reducit (3) atque ob rem tam laetam dies festos celebrari jubet. Sordibus purgatus novaque indutus veste

(1) Vs. 1299.

(2) De Hyperbolo plura nobis dicenda erunt cum ad Pacem pervenerimus. Cf. Meerm. Ath. onder Cleo.

(3) Vs. 315 seqq.

antiquum Miltiadis et Aristidis habitum refert, non bellum, sed pacem amplexus. Chorus, gaudio exsultans, Pindari verbis civitati Demoque gratulatur (1). Explicat denuo Agoracritus, quomodo Demus a demagogis, sycophantis, rhetoribus aliisque *τοῦ πονήρου κόμματος* hominibus deceptus et ludibrio habitus sit. Cujus stultitiae Demum ita pudet, ut, ejectis malevolis, rempublicam denuo ordinandam censeat, ut pax et antiqua felicitas restituatur. Quod ut fiat, Agoracritus inducias, sub mulierum forma, Demo offert: has enim diu a Cleone domi occultas, tandemque repertas esse. At quanam poena pro tantis sceleribus Cleo afficietur? Agoracritus eum damnat, ut in suo loco farciminibus vendendis tenuem victum quaerat. Placet Demo poenae genus; Cleo, tanquam fartor, ad portas abigitur, Agoracritus ejus in Prytaneo locum obtinet.

Quamvis Aristophanes tam audacter non solum Cleonem, plebis favore potentissimum, probris incusaret, verum etiam populum ipsum acerbe perstringeret, tamen praemio est ornatus. Quin meruerit praemium, non est quod dubitemus: sed populum se ipsum a comico in scenam traduci, non aegre tulisse, jure miramur. Ex nulla alia fabula melius cognoscimus, qualis democratiae status hoc tempore Athenis fuerit, atque ex ea facile causa malorum explicari potest qui-

(1) Pind. fragm.
ὦ ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι
Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλεῖναι Ἀθᾶναι, δαιμόνιον πτολίεθρον!

bus oppressa respublica tandem in exitium ruit. Quomodo democratia sensim in republica praevaluerit, paucis ostendere, non mihi ab hoc loco alienum videtur. Sapienti instituto Solon, populo universo in quatuor classes diviso, cives infimi ordinis *θῆτες* ab omnibus honoribus arcuerat, ne inconditae plebis temeritas prudentibus meliorum civium consiliis obstreperet, quietamque rempublicam turbaret. Quo magis plebem coërceret, Senatui curam mandarat comitia moderandi, ne quid detrimenti respublica ex praeposteris plebiscitis caperet, atque Areopago leges conservandi moresque castigandi officium injunxerat. Itaque democratia et aristocratia ita sapienter mixta erant, ut se invicem coërcerent, neque plebem optimates opprimerent, neque plebs illos urgeret (1). Sed octoginta ferme annis post Clisthenes, aucto civium numero, in decem tribus populum dividit et Solonis instituta, a Pisistrato servata, primus labefactavit. Nam quarta civium classis, mutato rerum statu, indignata, quod sibi aditus ad honores non pateret, mussitare, mox poscere, ac flagitare coepit ut sibi idem ac ceteris civibus jus petendi honores concederetur. Devictis Persarum exercitibus, cum omnes eximie de patria meriti essent, plebi flagitanti morem gerendum putaverunt; ipse Aristides, hujus concessionis necessitatem perspexit. Lex promulgatur, qua cuique civium jus honores petendi ac magistratus ge-

(1) Plutarch. in Solon. Cf. Wieland. Atheniensische Staatsverfassung. Gillies. History of Greece Cap. XIII.

rendi tribuitur. Fieri aliter non poterat, quin honorum dignitas et magistratuum auctoritas, ad quam infimo loco natus civis, aeque ac summo genere nobilis, pervenire posset, hac lege magnopere diminueretur. Plebs jam superbire ac penes se summam rerum esse credere coepit. Plebis potentiam auxit Pericles, *πολλὴν*, ait comicus Plato (1) *καὶ ἄκρατον τοῖς πολίταις ἐλευθερίαν οἰνοχοῶν.* Fregit ille reverendam Areopagi auctoritatem, causasque, quas hoc tribunal dijudicare solebat, ad nomophylaces et Heliastas detulit, qui judices ex omni plebe eligebantur. Ceterum cum Areopagi tribunal ex archontibus munere defunctis constitueretur, honoresque a quovis civium peti possent, hujus collegii auctoritas jam sponte imminuebatur.

Pericles, ingenii praestantia calamitatibus, ex immodica plebis libertate oriundis, consuluit, sed cum, post ejus mortem, nemo in republica erat, qui effrenam multitudinem sapienter moderari ac regere valeret, civitas, demagogorum ludibrio tradita, intra paucos annos in praeceps ruit. Quomodo factum sit, ut viles abjectique homines magis in republica valerent, quam divites nobilesque, bene exponit Xenophon in peculiari de republica Atheniensi scripto, et quamvis ille scriptor, democratiae, ut cui maxime inimicus esset, Lacedaemoniorum aristocratiam longe praeferret, tamen Atheniensium *πολιτείαν* recte intellexisse videtur. Libellus iste perpetuam continet malorum ex de-

(1) Plut. in Pericle cap. 7.

mocratica reip. forma oriundorum vituperationem, ironica defensione vitiorum ad quae, hac regiminis forma semel electa, vel ipsa necessitate detrudebantur. Verum quidem est, plurima, quae in Xenophontis scripto reperiuntur ad seriora tempora pertinere; attamen multa quoque ad Aristophanis aetatem referri possunt. Certe prima malorum origo ex isto tempore repetenda est. Quam acri judicio haec mala perspexerit Aristophanes, ex Equitum fabula intelligimus. Docuit poëta cuinam demagogo regendam, quibusnam fraudibus decipiendam se plebs tradiderit, eum esse abigendum, mores antiquos resumendos, demonstrat, si respublica gloriae felicitatisque culmen, ad quod Miltiades et Aristides eam evexerant, rursus occupare cuperet. Jure enim populus seni decrepito comparari poterat; cum Aristophanes haec scriberet, omnis vigor juvenilis fere exstinctus erat; qui quomodo restitui possit, optime indicavit. Sales jocique festivi plebeculae risum movebant, sed sagaciores, malorum causis perspectis, et patriae sortem miserati, quantum ipsa fabula veri contineret, gementes agnoverunt.

CAPUT QUARTUM.

VESPAE.

Χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος, ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς,
ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.

Opportunam pacis conciliandae occasionem, quam fortuna apud Pylon Atheniensibus obtulerat, temere neglectam et inconsulte praetermissam esse mox ipsi cognoverunt. Quippe superioris anni prospera insequens gravibus calamitatibus excepit. Elusa potiundi Megaris spes; nec meliore successu Boeotia tentata. Etenim exsules nonnulli, Orchomeno aliisque Boeotiae civitatibus ejecti, ducibus Atheniensium Demostheni et Hippocrati spem ejus regionis occupandae fecerant; quippe traditis clam Siphis et Chaeronea, munitoque Delio, ceteras urbes confestim se tradituras affirmabant. Constituitur dies, qua tres illi loci simul de improviso occupati, praesidio firmarentur. Re vero, in tempore, Boeotarchis patefacta, Demosthenes,

quominus Siphis classem copiasque admoveret, impeditus est, et Chaeroneae proditores oppressi sunt. Hippocrates autem hujus rei nescius, statuta die exercitum eduxit Deliumque, templum Apollinis in finibus Boeotiae et Atticae, operibus munivit. Supervenere Boeoti, duce Pagonda; manus conseruntur: fusi fugatique Athenienses. Ipse dux Hippocrates occisus, temeritatis poenas dedit. Dolorem ignominiamque, quam Athenienses hac clade sentiebant, auxere mali nuntii, ex Thraciae littoribus allati. Nempe missus illuc a Spartanis Brasidas, fortissimus ille belli dux, plerasque sociorum urbes ad defectionem sollicitabat. Multis partim vi, partim persuasione receptis, tandem nocturno impetu ceperat Amphipolin, omnium coloniarum longe celeberrimam. His infortuniis perculsa respublica, cum undique premeretur, nec essent auxilia, ad hostium impetus arcendos, inducias in unum annum cum Lacedaemoniis fecit. Neque hostes eas abnuebant, sperantes, fore, ut brevi captivos recuperarent. Quae tamen induciae non summa fide in Thracia conservatae sunt: nempe Scione et Mende ab Atheniensibus defecerunt atque a Brasida contra pactum receptae fuerunt. Auxiliis, suadente Cleone missis, quibus hae urbes in potestatem redigerentur; Scione extemplo obsidione cingitur (1).

Quo rerum statu afflictis civium animis, Aristophanes non reipublicae malam administrationem repre-

(1) Thucyd. Libro IV, cap. 66—135.

hendendam ducesque deridendos censuit, ne, calamitatis memoria revocata, salibus ac facetiis dolorem exacerbaret — sed alios homines, qui moribus bonis nocere videbantur, perstringere maluit. Comici enim erat, ut spectatorum animos gaudio perfunderet, et salibus risum moveret: sed profecto hoc efficere non poterat, cum malorum, quibus civitas hoc tempore premebatur, mentionem faceret. Itaque, anno post actum Equitum drama, Nubes, comoediam longe notissimam, in qua sophistas merito exagitavit, in scenam produxit. Quae cum non placuissent, non multo post Vespas docuit, quae benignius receptae sunt, quamvis in ea plebem rursus sit aggressus. Quibus causis adductus Aristophanes, Vespas conscripserit, paucis explicandum est.

Ex instituto Solonis cuique civium, modo triginta annis major, nec ullo flagitio infamis esset, judicis munere in foris fungi licebat. Praeter Areopagum et Archontum tribunalia, multa alia fora erant, in quibus de variis criminibus causisque jus dicebatur; de horum tamen numero scriptores ita inter se differunt, ut vix certi quid inde statuas. Quatuor fora caedibus et sex alia aliis criminibus inquirendis destinata fuisse videntur. Quatuor ista, antiquitus communi Ephetarum nomine insignita, tempore belli Peloponnesiaci, nisi natura, at forma tamen, mutata fuisse videntur, quod non nomen tantum in desuetudinem abiit, sed etiam quod, cum antea judices in iis *ἀριστίνδην* eligerentur, postea, ut ceteri, sorte electi sunt. Sex alia Heliaeae nomen acceperunt; in

singulis quingenti judices suffragia ferebant, ita ut, in causis nonnullis gravioribus, judicum numero duplicato, et omnibus foris in unum conjunctis, sex millia judicum congregarentur. Omnes causae ad rempublicam pertinentes, litesque inter cives ab Heliastis cognoscebantur et dirimebantur, qui gravi jurejurando sese adstringere debebant, se nec contra leges sententiam laturos, nec quidquam contra democratiam molituros, nec fraude mala causas diremturos. Cavebant praeterea, ne quis magistratum gereret, nisi ratione ante acti magistratus reddita, ne leges migrarentur; verbo ferme omnia curabant, quibus diu Areopagus prospexerat, nam Pericles Areopagi officia pleraque Heliastis injungenda curavit, quo sanctissimi tribunalis auctoritas frangeretur (1).

Cum non solum inter cives innumerae lites quotidie essent dijudicandae, verum socii quoque ex insulis urbibusque subjectis ad causas dicendas Athenas venire cogerentur, tanta semper erat causarum multitudo, ut tribunalia vix sufficerent, et Xenophon (2) diceret: *δίκας καὶ γράφας καὶ εὐθύνας αὐτοὺς δεῖ ἐκδικάζειν, ὅσας οὐδ' οἱ σύμπαντες ἄνθρωποι ἐκδικάζουσιν.*

Itaque cuique civium, qui judicis officio fungi cuperet, hoc desiderium explendi tempus non deërat, et merces initio duorum obolorum, sed postea Cleone auctore, trium dabatur. Hujus mercedis cupido et, ut

(1) Cf. de judiciis Barthelemy Voyage du jeune Anarcharsis cap. 16, 17, 18, praesertim Nitsch, Beschreibung des häuslichen, gottesd. etc. Zustandes der Griechen, T. IV. et Wachsmuth, Hellen. Alterthumsk., Tom. II. Sect. I.

(2) De Rep. Ath. cap. 3.

videtur, innata quaedam litigandi et disputandi libido pauperum civium animos ita accendit, ut insano judiciorum amore pene furerent, semperque tribunalia frequentarent. Fieri non potuit quin tam sordida cupido jus ipsum corrumperet. Inprimis infima plebs facillimum quaestus genus adamabat, et judiciaria potestate gloriabatur, qua omnibus adversariis magnum terrorem incutere poterat, quippe penes se erat, accusatos absolvere, aut damnare. Quamobrem demagogi huic instituto semper favebant, ad plebis gratiam retinendam. Aristocratici autem semper timere debebant, ne, exacto magistratus anno, ab inimicis in jus rapti, ab infimo quoque civium condemnarentur.

Ad hanc stolidam judicia exercendi cupidinem insectandam Aristophanes, comoediam, quae Vespae inscribitur, fecit, ut plebi ostenderet, frustra eam judiciaria potestate elatam, superbire, quod non ipsa, sicut putabat, sed demagogi uberrimos ejus fructus carperent. Nomen Vespae a choro desumitur, ut in plerisque comici fabulis. Etenim chorus constat ex judicibus Heliastis, qui facete Vespae dicuntur, quod, ut haec insecta pungunt aculeo obvios, ita judices alios causis dicendis et damnationibus laedunt. Vesparum quoque formam imitatus chorus in scenam procedit. Ceteri interlocutores omnes fictae personae sunt; senex quidam, cui Philocleoni nomen (scilicet Cleo judicum ordines semper foverat, ideoque illis carus erat) tanto judicandi furore corripitur, ut filius ejus Bdelycleo (Cleoni infestus) nullo modo furori isti me-

deri queat. Tandem senem domi includit, obseratis undique foribus et foraminibus, ne usquam exitus pateret per quem in forum erumpere possit; servos patrem custodire jubet.

Summo adhuc mane Xanthias et Sosias, servuli cum parumper sopori indulsissent, de somnio colloquuntur, quod utrique per quietem oblatum erat. Ac Xanthiae quidem somnium nullo memoratu dignum; sed Sosias in Pnyce oves cum baculis palliisque sedentes viderat, dum monstrum quoddam marinum (φάλαινα) magno cum clamore verba faceret (1). Hoc aperte ad ipsos Athenienses pertinet, qui ovium instar, a Cleone deludi se patiebantur. Quod Xanthian quoque non fugit, nam recte ait:

ὄζει κάκιστον τοὐνύπνιον βυρσῆς σαπρᾶς.

Somniis enarratis, Xanthias rem spectatoribus exponit, causamque, cur senem custodiant, explicat. Non se vilibus artibus eorum gratiam captaturum, neque denuo in Euripidem Cleonemque probra ingesturum, sed lepidam fore fabulam, affirmat. Nempe jussu domini nostri patrem suum tuemur, qui ita φιληλιαστής est, ut ne noctu quidem dormiat, nec quidquam (2) aliud cogitet, praeter calculos et urnas judiciarias. Haec illi pulcherrima videntur. Confestim post coenae horam, ad cancellos se proripit ibique columna fultus, opperitur. Nequidquam filius eum ad saniorem mentem reducere conatur; mor-

(1) Vs. 31.

(2) Vs. 85 seqq.

bus gravior est, quam cui mederi possit. Quam difficile sit senem retinere saepius experti sumus. Quaqua poterat via, erupit nosque elusit. Postremo totam domum retibus operuimus, sperantes fore, ut ita nos fallere nequeat. Loquenti servo supervenit Bdelycleo patremque exitum molientem arctiore etiam custodia observare jubet. Dicto citius captivus pater in fumarium adscendit (1) inde evasurus. Bdelycleo novum illud fumi genus vix objecto fumarii operculo coercet. Ejulare senex, atque precari ut emittatur: sibi enim ex oraculo moriundum esse, si quis reus ipsum effugiat: exspectari se jam dudum a judicibus. At Philocleo omnem lapidem incassum movet: filius neque precibus neque minis mitigatur. Arrepto tunc asello, eodem, quo Ulysses olim dolo, suos fallere senex conatur. Verum Bdelycleo, oculis non, ut Polyphemus, privatus, *Οὖτιν* nostrum statim agnoscit dolumqne ridiculum irritum reddit. Januis clausis retibusque extensis omnes quiescunt, Heliastas exspectantes, qui sodali suo opem ferre haudquaquam negligerent. Bdelycleo et servi lapides congerunt, quibus eorum impetum repellant: difficillimum enim esse senum genus, examini vesparum simillimum; quippe et eos aculeum acutissimum habere, quo pungant et vulnerent.

Jam lucescit. Ecce chorus Heliastarum senum, puero cum lucerna praeeunte, lentis passibus appropinquat, sodalem Philocleonem quaesiturus; nam cum

(1) Vs. 144.

ille primus semper adesse soleret, non immerito chorus miratur, cur nondum venerit. Non minus pedibus, quam oculis infirmi senes, titubantes, tamen ad tribunal venire festinant. Etenim Cleo, *ὁ κηδεμών* (1) summo mane eos adesse jusserat, ad sententiam de Lachetis (2) causa dicendam. Quanam igitur causa impeditus Philocleo non adest? ejus viri non est, tantae rei deësse. Sed fortasse ob hominem, quem heri absolvimus, iratus in febrem incidit, quia absolvi quemquam, aegerrime semper tulit. Ad januam Philocleonis subsistunt senes, puerumque cum lucerna dimittunt. Qui cum mercedem posceret, senes, tibine, dicunt, mercedem daremus? en, hoc miserrimo triobolo nobis omnia sunt emenda: cum fora clausa sunt, nil habemus, unde victum quaeramus. Abit puer tragicis verbis ridiculum gemitum ciens. Tametsi in hac scena pleraque ridendi tantum causa finguntur, tamen poëta non sine consilio puerum mercedem rogantem, adjicit; scilicet, ut demonstraret quam misera judicum eonditio esset, qui, sua potentia gloriantes, triobolo tantum accepto, ad archontis arbitrium viverent.

Audit Philocleo sodales suos clamantes. Utinam venire ad vos mihi liceret, amici, sed undique cingor

(1) Vs. 229 seqq.

(2) Laches, bonam fidelemque reipublicae operam in Sicilia alibique navaverat, comparatisque, ut videtur, divitiis ab inimicis in jus trahebatur. Idem, quatuor annis post, dux Atheniensium, in pugna apud Mantineam cecidit.

et custodior. O si Jupiter in fumum me dissiparet, aut in lapidem transformaret, in quo calculos judices numerant! Filius autem meus, quem male Jupiter perdat, judicia exercere me non permittit. Ceterum magna mihi pollicetur, modo ipsi morem geram, sed valeat cum promissis; quid enim suavius, quam calculos manu tenere litesque dijudicare. Agite nunc, o sodales, arte quadam opus est, qua nos ex hisce vinculis expediamus. Senes non defuturos se pollicentur. Res tamen dictu, quam factu facilior. Tandem, corroso reti, Philocleo funem arripit quo se de tecto demittat. Cum jam in eo esset, ut sese demitteret, Bdelycleo servique, spretis Heliastarum minis, patrem vi retrahunt. Rixa et altercatio ingens oritur, Judices, tanquam Vespae, magnis aculeis armati, servos ipsumque Bdelycleonem infesto agmine petunt. Hi vero vim vi arcent: clamat Philocleo, suos increpans, judicesque adhortans. Magnus oritur tumultus. Postremo Vespas, accensis lignis, multoque fumo excitato foras ejiciunt Bdelycleo et servi. Chorus convicia in victores ingerit: nonne et pauperibus jam liquet, tyrannidem abs te affectari? cum protenus civitatis leges violas et spernis? cum judices impedis, quominus officio fungantur? Profecto Lacedaemoniis faves, cum Brasida agis. Imo vestes ipsae et barba, te a Laconum partibus stare demonstrant. Sed meritas a te poenas mox expetemus. — Tyrannidis me accusari, inquit Bdelycleo, non magnopere miror, quia hodie ob levissimas causas quivis hujus criminis insimulatur; plebs ita de democratia sollicita est, ut quemcunque, qui pisces

paullo pretiosiores emat, ita alios superare et tyrannidem affectare suspicentur (1).

Postremo rixantibus placet, litem oratione dirimere. Philocleo, quam magnificum et lucrosum esset munus judiciale, demonstrabit; filius, vanum ac nullius id munus pretii esse docebit. Qui causa caderet, is graves poenas et choro et victori daturus est. Senex, a collegis admonitus, ut judicum causam superiorem esse argumentis probet, de praestantia muneris disserere incipit (2):

τί γὰρ εὔδαιμόν γ' ἢ μακαριστὸν μᾶλλον νῦν ἐστὶ δικαστοῦ
ἢ τρυφερώτερον, ἢ δεινότερον ζῶον, καὶ ταῦτα γέροντος;

Nam mane ad tribunal accedentem extemplo opperiuntur viri magni et graves, flebili voce precantes: o miserere mei, pater, si quidquam ipse olim surripuisti exercitui vel provinciae praefectus: actum procul dubio de te tuisque rebus fuisset, nisi clementer absolutus, accusatores effugisses. — His ego precibus gaudeo, hac potentia, hac auctoritate superbio, laetus ausculto, quid miseri rei, ne damnentur, moliantur. Onerant me promissis, donis, quibus meam iram deprecentur; pueros adducunt, qui me ad misericordiam moveant; ac divino prope honore me trepidi prosequuntur. Quid? nonne magnum hoc imperium, quo fretus, divitias spernere possum? age majora proferam. Cum pater filiam locupletem, orbam

(1) Vs. 491. Aristophanes h. l. *μεμβράδας* et *ὀρφούς* nominat piscium genera, quae magno pretio constabant, atque ita pauperibus haud emenda.

(2) Vs. 548 seqq.

moriens reliquerit, nos judices, contemto testamento, filiam ei, cui voluerimus, in matrimonium damus et impune nostra in eam potestate utimur. Nonne senatus populusque res magni momenti nobis dirimendas deferunt? Et quantopere demagogi rhetoresque nobis blandiuntur! (1)

αὐτὸς δ' ὁ Κλέων, ὁ κεκραξιδάμας μόνον ἥμας οὐ περιτρώγει
αλλα φυλάττει διὰ χειρὸς ἔχων καὶ τὰς μυίας ἀπαμύνει.

Sed optima totius rei fere praetermisissem. Cum, mercede accepta, domum veniam, omnes me laeti salutant comiterque excipiunt; filia osculis et basiis me mulcet: uxor convivium parat. Tanta felicitate fruor, *τάδε κέκτημαι, πρόβλημα κακῶν, σκεύην βελέων ἀλεωρήν.*

Nec ipse Jupiter majus imperium exercet, atque idcirco omnes praetereuntes, qui nos litigantes audiunt: Proh Jupiter, ajunt, quanta vi tonat tribunal! Divites me timent: tu ipse me metuis; ego autem, te, medius fidius, ne flocci quidem facio.

Acclamant huic orationi Vespae: nec mirum. Quis enim Atheniensium hoc judicandi furore correptus, magis speciosa verba eligere potuisset, quibus suo muneri auctoritatem vindicaret? Lepide Aristophanes omnia congessit, quibus pauperes judices gloriabantur; timorem, quem reis incutiebant, preces, promissa,

(1) Vs. 596. Conf. Equites vs. 255 ubi Cleo, quoque horum judicum auxilium invocat

ὦ γέροντες Ἡλιασταί, φράτορες τριώβολου
οὓς ἔγὼ βόσκω.

et licet pecuniae datae palam mentionem non faciat tamen judices nonnunquam a reis corrumpi, non obscure insimulat. Notatur injuria, qua filiae *ἐπίκληροι* relictae hereditate spoliabantur. Sed fieri non poterat, quin jus corrumperetur, cum pauperes, legum ignari et mercede tantum allecti, id dicerent.

Verum Bdelycleo patris argumenta diluit (1) et mercedem, qua maxime judices elati erant, vanam esse demonstrat: Dic mihi, o patercule, si potes, quanti sint reditus, quos e sociorum tributis, vectigalibus, centesimis, metallis aerarium nostrum accipiat; sunt, ni fallor, bis mille talenta; secernamus ex his, quaeso, mercedem, quae quotannis judicibus tribuitur. Cum judicum numerus nunquam sex millibus major sit, inde efficies per totum annum centum et quinquaginta talenta. Quibus in rebus cetera absumuntur? Profecto demagogi rhetoresque exhaustas suas opes inde restituunt. Nonne vides, o pater, tantum abesse, ut tu (nempe populus) imperium exerceas, ut turpem illis servitutem servias? Isti quinquaginta talenta sociis extorquent, minantes; Date tributa, alioquin vestram urbem tonitrubus subvertam! Miseri socii confestim debita solvunt, iis blandiuntur, dona varii generis mittunt: tu autem gravibus terra marique laboribus perfunctus, vix allium et pisces comparare potes (2):

(1) Vs. 656.

(2) Vs. 682.

οὐ γὰρ μεγάλη δουλεία 'στὶν, τουτους μὲν ἅπαντας ἐν ἀρχαῖς
αὐτούς τ' εἶναι, καὶ τοὺς κόλακας τοὺς τουτων μισθο-
φοροῦντας;
σοὶ δ' ἤν τίς γε διδῷ τρεῖς ὀβολοὺς, ἀγαπᾷς· οὓς αὐ-
τὸς ἐλαύνων
καὶ πεζομαχῶν καὶ πολιορκῶν ἐκτήσω, πόλλα πονήσας.

Nec minore fraude te in judiciis circumveniunt. Defensores causae et magistratus, qui judicio praeest, clam cum reis agunt, pecuniamque ab iis datam inter se dividunt:

ὥς πρίων, ὁ μὲν ἕλκει, ὃ δ' ἀντανέδωκεν
σὺ δὲ χασκάζεις τὸν κωλακρέτην· τὸ δὲ πραττόμενόν σε
λέληθε.

Observes velim porro artes, quibus isti utuntur, ut te, tantis opibus abundantem, cum omnes fere urbes a Ponto usque ad Sardes tuae ditionis sint, paupertate premant, nec divites fieri sinant. Tibi imperare cupiunt: ab iis tu victum accipias oportet, ut, ab iis incitatus inimicos eorum aggrediaris. Iidem, si vellent, universo populo largas epulas praebere possunt; sunt enim mille urbes tributariae; harum unicuique viginti cives alendi dentur: sic facile negotio viginti millia civium opiparis vescentur, ut decet viros *Μαραθωνομάχους*. Magna rhetores isti promittunt, at fidem non servant: vix metu coacti frumenti quid praestant Euboeamve dividere pollicentur. Quamobrem te semper retinui, ne grandiloquis istis aurem praeberes; cuncta tibi donabo, modo insano judicandi furore liber evadas.

Admiranda arte hanc Bdelycleonis orationem ornarit Aristophanes. Prudens non ipsam judiciorum constitutionem, qua omnibus civibus promiscue jus dicere licebat, reprehendit, etsi, quantopere ea his temporibus saluti publicae noceret, bene intellexerat: ipsam enim democratiam hac animadversione offendisset, gratiamque plebis his judiciis tam exsultantis procul dubio amisisset. Itaque tantummodo dicit, mercedem minorem esse pro tam divite aerario. Ex duobus millibus talentûm judices centum et quinquaginta accipiebant. Scholiastes hoc loco istorum rationem ita computat: duo menses festis celebrandis adhibentur (notum est Athenis dies festos quam plurimos celebrari,) per eos justitium erat, itaque per decem tantum menses judicia exercebantur. Mensis plerumque triginta diebus constat, adeoque per trecentos dies tribunalia aperta erant. Cum sex millia judicum essent, atque unicuique tres- oboli darentur, duodeviginti millia obolorum quotidie impendebantur, sive tria millia drachmarum, quae semitalentum efficiunt. Tota summa per trecentos dies centum et quinquaginta talentis constat (1), parva profecto prae tanto reditu. Cur autem comicus de bellicis sumtibus non loquitur? ista sane voragine maxima pars absumebatur. Atqui demagogi bellum trahendum curabant: pacem saepius oblatam eorum arrogantia rejecerat. Itaque summo jure Philocleo dicit: reliqua pecunia ad eos pervenit, qui dicunt: non prodam Atheniensium catervam sed

(1) Sunt tamen qui hanc computationem non probent. Cf. Petit. Leg. Att. pag. 325.

semper plebem defendam (1). Bdelycleo, patris oblitus, plebem alloquitur, quae universa ejusdem stultitiae accusanda erat. Inprimis festivum est consilium de civibus a sociis alendis (2). Persuasus Bdelycleonis oratione chorus Vesparum, extemplo depositis armis, patrem admonet, ut sapienti filio morem gerat. Sed ille, tametsi filii argumenta probat, tamen judicandi amore nimio ducitur, quam ut huic dulci furori renunciet. Parodia versuum aliquot ex Euripidis Hippolyto ejulans declarat, emori se malle, quam calculis abstinere. Age, sodes, filius inquit, inter servos domesticos judicium exerce: multo melius hoc erit, quam frigore fameqne in tribunali perire. Ego tibi mercedem praestabo, nec quisquam tibi eam eripiet. Arridet consilium seni, nam saepius a collegarum quodam deceptus fuerat. Accedit praeterea oraculi veteris auctoritas, quod Athenienses aliquando ipsos domi jus dicturos portendebat. Ad ridiculam tribunalis similitudinem Bdelycleo cuncta comparat, Lyci heroum, cancellos, tabulas accusatorias, urnas judiciarias et calculos. Sed quis accusabitur? Forte fortuna, canis, Labes dictus, caseum surripuerat; alius canis eum criminis accusat; res ad Philocleona defertur. Scenam festivissimam tamen non sine consilio Aristophanes addidit. Canis Labes, qui ob raptum siculum ca-

(1) Vs. 666.

(2) Erant enim viginti millia civium, urbes autem sociorum mille: itaque suadet Bdelycleo, ut unicuique harum urbium viginti cives alendi dentur.

seum in jus rapitur, partes agit imperatoris Lachetis, qui, ut jam vidimus, in Sicilia rebus non infeliciter gestis, ab invido quodam accusatus erat. Accusator canis est Cydathenaeus. Fortasse imperatoris accusator illi demo adscriptus erat: quis fuerit iste non liquet, procul dubio demagogorum quidam, vel ipse Cleo; inprimis adversarii bilem contra Lachetem moverat, quod is divitias comparatas cum isto dividere noluisset (1). Ut ut sit, Labes canis, ab altero cane, pro quo servus Xanthias verba facit, defertur, testes adducuntur, olla, catina, aliaque supellex. Bdelycleo Labetis causam defendit. Frustra senis misericordiam movere studet. Philocleo, iisdem, quibus olim, crudelibus durisque moribus, vix audit defensionem. Sed filius eum fraude circumvenit, oblata clam absolutionis urna (2); itaque invitus canem Labetem senex absolvit. Haec insolita absolutio senis animum ita perturbat, ut Deorum iram deprecatus, fateatur,

ἄκων γὰρ αὔτ' ἔδρασα κοὐ τοῦ μοῦ τρόπου (3).

Quibus dictis omnes scenam relinquunt, praeter chorum, qui in solenni parabasi spectatores alloquitur et eos objurgat, quod Aristophani, nuper Nubes docenti, praemium non dedissent. Ingrati id esse animi. Quippe ipsum, omnium primum, magno animo, tan-

(1) Vs. 908 seqq.

(2) Scilicet in tribunali erant duae urnae, sive hydriae, quarum una, aerea πρότερος, ὁ ἔμπροσθεν, κύριος vocabatur, in quam judices nigros et perforatos damnandi calculos injiciebant, altera lignea, ὁ ὀπίσω, ἄκυρος, in quam albos demittebant.

(3) Vs. 1000.

quam alter Hercules esset, cum terribili monstro (Cleone) manum conseruisse, et civibus semper profuisse. Praeterea eos sales ejusmodi quoque esse, ut nemo festivius quidquam unquam audierit. Itaque in futurum istum poëtam, quem boni semper laudaverunt, pluris aestiment, rogat. — Deinde Vespae lepidam rationem reddunt, cur horum animalium formam assumsissent. Se jam apud Marathona et Salamina vesparum simillimos fuisse, barbarorum aciem aculeis insecutos: quibus Persae perculsi adhuc nihil pugnacius fortiusque esse, quam Vespam Atticam, fatentur. Magna quoque similitudo inter judices et Vespas obtinet, ut jam vidimus.

In reliqua comoediae parte jocos diversi generis, Vesparum plane oblitus, poëta profert. Bdelycleo patrem erudire tentat, vestem Laconicam induit ei, leges convivii explicat, ne is agrestem ac rudem se ubique gerat. Quomodo scolia canenda sint, edocet, et antiqua scolia in Cleonem ejusque similes ridicule transfert. Proterve dicta et facta in ultima scena nos non morabuntur, nisi quatenus animadvertamus, haec etiam non parum conferre ad notandos judicum Atheniensium mores, muneris quo funguntur, gravitati parum congruentes. Tandem cum tragoedis et inprimis cum Carcini filiis Philocleo rixatur, Phrynichum veteresque tragicos multo iis praecellere, clamitans. Dum altercantur et luctantur, chorus cum reliquis saltans scenam relinquit, finisque comoediae imponitur.

Ut in Equitibus Demus, ita in hoc dramate Philocleo plebem Atheniensem repraesentat, non, ut ibi, in rei-

publicae administratione, sed judiciaria potestate male utentem, ubique a demagogis deceptam. Solon, cum timeret, ne reliqui civium ordines, potentia divitiisque elati, infimam Thetarum classem opprimerent, his jus dicendi facultatem reliquit. Sic et ditiores cavere debebant, ne eorum iram odiumque excitarent, quibus, accusati, tamquam judicibus rationem reddere cogebantur. Quaecunque ad rempublicam pertinerent, tanta arte summus ille vir ordinavit, ut merito gloriari ipse posset:

Δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος, ὅσσον ἐπαρκεῖ
τιμῆς οὔτ' ἀφελὼν οὔτ' ἐπορεξάμενος,
οἱ δ' εἶχον δύναμιν καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοὶ,
καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικὲς ἔχειν·
ἔστην δ' ἀμφιβαλὼν κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισι
νικᾷν δ' οὐκ εἴασ' οὐδετέρους ἀδικῶς. (1)

Jam vidimus, quomodo pulcherrima haec aequilibritas postea dissoluta sit; atque ita, quae olim magnae utilitatis fuerant, eadem mox summopere nocuerunt. Quod inprimis de judiciis dici potest. Ut universa plebs, ita et tribunalia in demagogorum arbitrio erant: hi fovebant multitudinem; hi bonos persequebantur. Pauperes tantum ob mercedem judicia exercebant, justitiam ipsam non curabant. Quamobrem ingens iste sycophantarum numerus facili negotio crevisse videtur: judices enim pecunia se corrumpi facile patiebantur. Bellum hoc malum auxit; otiosa atque in urbe conferta multitudo judiciis exercendis libenter vacabat.

(1) Solon Fragm. in Poet. Gnom.

Itaque laudandus comicus, quod hanc pestem aggressus, cives insaniae arguere et ad saniorem mentem reducere conatus sit. Rem ipsam tollendam esse, licet bene perspexerit, hoc tamen suadere non esset ausus, neque enim hujus temporis locive fuisset. Nec fortasse opus erat, modo plebs demagogorum licentiam et nequitiam agnosceret, neque diutius eorum imperio obediret. Eos esse auctores malorum perspicue patefecit. Sed quamvis Bdelycleo patrem suum chorumque ad suas partes pertraheret, ipsa plebs, quae verissime Philocleo audit, verba sprevit, et comicus, exagitando pessimo quoque, reprehendenda reipublicae administratione nihil effecit, nisi ut levissimae plebis animos ad cachinnos tollendos excitaret. At poëtae optimo vitio verti non potest, exhortationes suas vanas fuisse: laudes quas meruit, ei nemo unquam negabit.

CAPUT QUINTUM.

PAX.

ὦ σεμνοτάτη βασίλεια, θεὰ
πότνι' Εἰρήνη,
δέσποινα χορῶν, δέσποινα γάμων
δέξαι θυσίαν τὴν ἡμετεραν!

Nullam esse in bello salutem, Acharnensibus docendis comicus jam antea declaraverat, sed cum paucis annis post, pacem, difficulter pactam turbae denuo excitatae rumpere viderentur, poëta rursus comoedia, quae Pax inscribitur, cives exhortatus est, ne eam, vix acceptam, temere rejicerent. Eodem consilio, nempe pacis suadendae, fabulas ambas composuit; in Acharnensibus autem pacis nondum pactae auctor est, et idcirco ejus praestantiam civibus ob oculos ponit; in hac comoedia ne pacem magna difficultate compositam temere rejicerent, civibus persuadere conatur. Videamus, qualis hoc tempore status Graeciae fuerit.

Exacto induciarum anno, de quibus jam locuti sumus, bellum in Thracia, quamvis cum Mendaeis et

Scionaeis, qui defecerant, non esset intermissum, rursus instauratum est; Brasidas, Lacedaemoniorum celeberrimus dux, circumire sociorum urbes, et plerasque verborum lenociniis ab Atheniensibus, ad suas partes trahere perrexit. Cum Athenienses virum fortem ac strenuum, quem contra Lacedaemonium mitterent, eligendum esse animadverterent, sed, quemnam tandem exercitui praeficerent, dubitarent, Cleo cui res ad Pylum feciliter gestae magnos spiritus attulerant, jactantia et impudentia in comitiis impetravit, ut ipse cum imperio in Thraciam exercitum duceret. Quam aegre omnes boni hoc tulerint, ex Aristophanis Nubibus patet (1), ubi chorus Nubium ita spectatores alloquitur:

εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην παφλαγόνα
ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγὸν, τὰς ὀφρῦς ξυνήγομεν,
κἀποιοῦμεν δεῖνα. βροντὴ δ' ἐῤῥάγη δ' ἀστραπῆς
ἡ σελήνη δ' ἐκλέλοιπε τὰς ὁδοὺς· ὁ δ' ἥλιος
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ στρατηγήσει Κλέων,
ἀλλ' ὁμῶς εἵλεσθε τοῦτον.

Forsitan malis ominibus Cleo electus in Thraciamque profectus est. Quo cum venisset, urbem Toronen inopinate adortus cepit, tropaeoque erecto Amphipolin petit, quam urbem Brasidas occupaverat. Expugnato Galepso, ignobili ejus littoris oppido, e regione urbis Amphipolidis castra ponit. Nullus ibi aderat Demosthenes, qui, sicut ad Pylon, rem arduam consiliis suis artisque militaris peritia faciliorem reddere posset: proprio Marte Cleo rem gerere debebat.

(1) Vs. 573—592. Fortasse ex secunda editione.

Nec ipsos Atheniensium milites fugit, quantum dux hostium Cleoni praecelleret, *ἀναλογιζομένους*, ut ait Thucydides, *τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρὸς οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν μέτα οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο.* Brasidas, copiis minor, imprudentibus hostibus superveniendum esse ratus, insidias struit. Cleo, quum hostium copiis plenam esse urbem videret, et antequam subsidia venissent, manus conserere nollet, exercitum de colle, in quo castra munierat, abducit. Tum repente Brasidas, patefactis portis, in incompositos ex agmine et inordinatos summa vi impetum facere, turbare, territosque necopinato proelio sternere ac fugare. Ab altera parte simul Clearidas, urbi praefectus, tumultum repentino adventu auget: sinistrum Atheniensium cornu illico fusum fugatumque; paulo diutius et fortius dextrum pugnavit. Fugae salutem quaesiturus Cleo, ab ignoto et gregario milite interfectus, turpi morte scelestam vitam finivit. Ipse quoque Brasidas vulneratus, parta victoria spiritum reddidit (1).

Mortuis his imperatoribus bellicosis, Spartanorum rex Plistoanax, et Nicias feroces populorum animos reconciliare sunt conati. Neque displicuit illud consilium Lacedaemoniis, utpote qui amisso Brasida, nullum celebrem ducem exercitui praeficere poterant, pacemque cupiebant, ut captivos recuperarent. Athe-

(1) Thucyd. Lib. V. cap. 1—12: Diod. Sicul. Lib. XII. 74 majori gloria Athenienses et Cleonem rem gessisse narrat. Sed quis ejus auctoritatem Thucydidi praeferet?

nienses, duabus apud Delium et Amphipolin cladibus perculsi, neque amplius a furioso Cleone concitati lubentes Nician de pace foedereque ineundo disserentem audiebant. Res per hiemem colloquiis et legationibus peracta est. Pax ita componitur, ut utrique urbes bello expugnatas redderent; Athenienses Pylon relinquerent, Lacedaemonii praesidium Amphipolide deducerent; utrique sibi invicem opem ferrent, si bello peterentur. Hoc foedus in quinquaginta annos ictum. Sociis utriusque populi eaedem conditiones accipiendae oblatae sunt. Itaque bellum, decimo postquam inchoaverat anno compositum esse videbatur; cum pax inprimis Niciae opera confecta esset, non immerito pax *Νικιειὸς* dicebatur (1).

Tantum vero aberat, ut pacis conditiones ab omnibus sociis acciperentur, ut Corinthii, Argivi et Boeotii suspicarentur, Athenienses et Lacedaemonios eo consilio pacem foedusque iniisse, ut, conjunctis copiis Peloponnesum Lacones, ceteras civitates Athenienses in potestatem redigerent. Foedus cum Argivis Corinthii feriunt, ne ejusmodi fraude circumveniantur. His civitatibus mox se conjungunt Mantineënses, Elei, Megarenses aliique, nam omnibus Graecis, exceptis Spartanis et Atheniensibus, huic foederi se conjungere licebat. Harum enim civitatum pacto quaedam inerant, quae ceteris scrupulum injicere poterant; quis enim iis resisteret, cum conjunctis copiis navalibus terrestribusque, aliquem aggredi vellent? Tantam procel-

(1) Thucyd. Lib. V. 18—25. Plutarch. in Nic. 9.

lam metuentes Lacedaemoniorum principes, et Athenienses non fidos fore socios suspicati, mature huic periculo subveniendum esse opinantur foedusque cum Boeotis paciscuntur, insciis Atheniensibus, quod contra pacti leges erat, et insuper Corinthios ad suas partes trahunt. Dissidia et suspiciones jam dudum inter Lacones et Athenienses orta fuerant, quia illi Amphipolin et Panactum (1) non reddebant, et hi contra Pylon se relinquere negabant. Argivi Lacedaemoniis infesti, legatos Athenas mittunt. Ibi Alcibiades aliique pacis turbatores, qui ex bello gloriam quaerebant, plebem incitare non desinebant, ut Laconum perfidiam ulciscerentur, nec diutius pacti leges violari impune ferrent. Itaque dissidiis perturbata Graecia, verendum erat magnopere, ne recens composita pax brevi tempore rumperetur (2). Hac tempestate, fabulam Pacem Aristophanes docuit, anno, ut videtur, post pugnam ad Amphipolin. Inventio hujus comoediae maxime ingeniosa et lepida est. Nempe agricola quidam, Trygaeus, ut omnes agricolae, belli pertaesus, ipse in coelum escendere vult, ut ab Jove pacem finemque malorum impetret. Quotidie precibus Deos fatigarat, ut tandem verriculum (3) deponerent, ne funditus urbes Graeciae diruerentur, sed oleum operamque per-

(1) Atticae castellum, quod Boeoti occupaverant quodque ut redderent, Lacedaemonii se auctoritate sua effecturos polliciti fuerant.

(2) Thucyd. Lib. V. cap. 25 seqq.

(3) Vs. 58.

diderat; quamobrem ipse Deos adeundi audax consilium init. Verum unde novus Bellerophon Pegasum adquiret? Res in promptu. Scarabaeus (κάνθαρος) insolitae magnitudinis Pegasi officio facile fungetur. Trygaeus etiam scalas immensas confecerat; quae cum frangerentur, ipse praeceps datus grave vulnus acceperat. Itaque scarabaeum comparat, cui ut cibum largiter praebeant servis imperat, ne tanto itineri animal impar sit. Servi putidam bestiam detestati domini stultitiam magnopere mirantur; ne ipsos quidem Athenienses, ceteroquin insanientes, ita stultos esse, ut scarabaeis insidentes in coelum avolare cuperent (1). Dum loquitur servus, jam Trygaeus, machina scenica in scarabaei simulitudinem confecta vectus, bestiam stimulis excitans, coelum petere incipit. Proh Jupiter, exclamat servus, quid tibi, o here, in animo est? nunquam sane magis ridiculum quidquam vidi. Summa gravitate Trygaeus, cum Jove, ait, de rebus Graeciae collocutus, quid ille animo paret, cognoscam; nisi me audiat, proditionis eum accusabo. Nam luce clarius est, eum nos Persarum regi proditurum. — Servus liberos advocat, qui patrem retineant. Attamen, re cognita, consilium patris filia non improbat, sed adscendendi rationem reprehendit; Pegasum enim longe aptiorem et τραγικώτερον fore. Ex hoc colloquio intelligimus, scarabaeum istum ridendi tragicos causa, excogitatum esse. Ridiculis argumentis Trygaeus ostendit, Pegaso scarabaeum mul-

(1) Vs. 54.

tum antecellere. Tandem, nemine contradicente, homo sublimis abit, et non sine periculo aërem emensus ad alta Jovis Olympii palatia pervenit.

Excipit audacem Mercurius (1) multisque in ejus insolentiam probris invehitur, quis sit, et unde veniat, percontatus. Verum Trygaeus iram ejus, data carnis offa, placat, et aditum ad Deos supplex rogat. — At, o bone, Dii ex hoc loco in ipsum coeli apicem migrarunt, solus sum relictus, qui supellectilem curarem. Nam Graecis irati, Bello hanc sedem dederunt, ne vestram furiam, vestra flagitia diutius adspiciant, precibusve vestris aures praebeant. Semper enim res fraude geruntur ab Atheniensibus et Lacedaemoniis; victos victores decipiunt. — Vera loqueris, sed dic mihi, quaeso, ubi locorum Pax Dea moretur. — Pax? quam vereor, ut eam nunquam sitis recuperaturi; videsne? hoc in antrum Pacem Bellum detrusit, magnosque insuper lapides undique congessit, ne Dea vinculis liberari queat. Ingens quoque mortarium advexit in quo omnes urbes conterat et contundat. — Interim magno cum strepitu Bellum appropinquat: Mercurius foris se proripit; Trygaeus, metu coactus sese occulit, ne a Bello conspiciatur. Terribilia Prasiis, Laconicae urbi, Megarisque et Siciliae minatum Bellum ad mortarium accedit, sed pistillum non invenit, quo contundat. Servum Tumultum (κυδοιμὸν) jubet, quam celerrime poterit, Athenis pistillum afferre. Dicto citius reversus iste, pistillum Atheniensium esse frac-

(1) Vs. 180.

tum, nuntiat. Occiso enim Cleone, pistillum non amplius habebant (1). Igitur Spartam pete, Bellum servo imperat, et illic affer. Interim Trygaeus timore semianimis, Deos invocat, ne Bellum ita furere patiantur. Sed Tumultus Spartae quoque pistillum non invenit. Quo enim Lacedaemonii utebantur, id Thraciae urbibus mutuo datum ibi amiserant. Etenim Brasidas una cum Cleone mortem occubuerat. Quod cum audiisset Bellum, ira inflammatum, scena relicta, domum intrat, novum pistillum fabricaturus. Quo profecto, Trygaeus magno cum gaudio prosilit, omnesque Graecos, agricolas, fabros, mercatores, et insulanos adhortatur, ne opportunam Pacis ex antro liberandae occasionem praetermittant. Advolat actutum chorus agricolarum et ingens Graecorum turba occurrit, Trygaeo vocante (2):

δεῦρο πᾶς χώρει προθύμως εὐθὺ τῆς σωτηρίας,
ὦ πανέλληνες, βοηθήσωμεν, εἴπερ πώποτε
ταξέων ἀπαλλαγέντες καὶ κακῶν φοινικικῶν,
ἡμέρα γὰρ ἐξέλαμψεν ἥδε μισολάμαχος.

Quomodo autem haec multitudo in coelum ad Trygaeum escenderit, poëta non curat; quin totius coeli oblitus videtur. Sed comico ejusmodi incuria fortasse licuit. Chorus, nimia laetitia abreptus, clamoribus saltationibusque testatur, quam laeta haec res sibi acciderit, etsi Trygaeus, qui non immerito timebat, ne

(1) Cf. Equit. vs. 983 ubi chorus Cleonem *δοίδυκα καὶ τορύνην* vocat.

(2) Vs. 292.

Bellum, tanto clamore excitatum rediret, saepius admonebat, ne ita exsultaret chorus, antequam Pax liberata foret; vix sedato tumultu, Mercurius supervenit, inceptum prohibiturus. Trygaeus initio ejus minas ludibrio habet: cum autem ille alta voce Jovem clamaret, timidus preces fundit; chorus etiam obsecrat, et sacrificia promittit. Quae tamen Mercurium forsitan non movissent, nisi Trygaeus ei conjurationem contra Deos a Sole et Luna factam detexisset. — Nempe hi Dii, cum eos Graeci non divinis honoribus prosequerentur, invidia accensi, omnes Olympios occidendi consilium inierant. Qua re motus Mercurius, et praeterea magna hostiarum et festorum promissione persuasus, operam suam non negat.

Comparatis ligonibus funibusque, omnes sese ad opus accingunt; diris devovent omnes malevolos et libant cuique Deorum, excepto Marte. Tum funibus arreptis, lapidibus dimotis, Pacem extrahendo insudant. Incassum se invicem adhortantur; opus non procedit. Impedimento est Lamachus, quem ex Acharnensibus cognovimus. Nec mirum: bellicosis ille annumerandus erat, licet ipse, ut refert Thucydides, inter eos fuerit, qui pacis conditiones subscripsissent. Atque etiam Argivi trahere nolunt. Jam vidimus, eorum maxime culpa, pacem fuisse turbatam, quippe qui, diuturna pace florentes, praeter Achaeos Graecorum soli bello Peloponnesiaco nondum implicati, ceteros, quorum vires hoc bello fractae et imminutae erant, despiciebant. Lacones meliorem operam navant, sed nonnullis eorum fides non est habenda. Qui apud Pylon capti sunt, soli pacem sin-

ceri optant. Neque Megarenses adjuvant. Tandem Trygaeus exclamat: nos quidem trahimus, illi vero impediunt. Vapulabitis, Argivi, qui rem proditis. Megarenses, quorum causa bellum exarsit, (ob *ψήφισμα Μεγαρικὸν*) nihil agunt. Athenienses, jus dicendo nimis occupati sunt, quam ut pacem curent. Agite, vos agricolae, nosmet rem soli aggrediamur, apage cum istis. Quod cum fit, statim opus procedit. Nec est, quod miremur: agricolarum enim plurimum refert, num pax sit, an bellum (1), quamobrem illi soli pacem ex puteo extrahere valent.

Trygaeus spe non frustratur. Agricolarum opera brevi Pacem cum comitibus suis, Opora, et Theoria, antro extrahit. Magno gaudio cuncti Deam excipiunt et Trygaeus blandis verbis eam alloquitur. Urbes, vulneribus dilaceratae, cum Pacem videant, recreantur et rident (2). Omnes fabri instrumentorum rusticorum, uberrimum ex istis fabricandis quaestum sese facturos sperant; qui autem arma faciunt, ad desperationem adiguntur. Agricolae confestim ad rura deserta redeunt:

ὦ ποθεινὴ τοῖς δικαίοις καὶ γεωργοῖς ἡμέρα!
ἄσμενός σ' ἰδὼν προσειπεῖν βούλομαι τὰς ἀμπέλους·
τάς τέ σῦκας ἃς ἔγω φύτευον, ὧν νεώτερος,
ἀσπάσασθαι θυμὸς ἡμῖν ἔστι πολλοστῷ χρόνῳ,

Sed antea laudibus et hymnis Deam extollunt, et

(1) Summo jure Menander, comoediae novae poëta, ait
εἰρήνη γεωργὸν κἂν πέτραις
τρέφει καλῶς· πόλεμος δὲ κἂν πεδίῳ κακῶς.

(2) Vs. 509 seqq.

celebrant, beneficiorum memores, quae olim ab ea acceperant, cum agri variis fructuum generibus abundarent, cum arva floribus et vineis riderent, quibus securi fruebantur. Dic nobis, o Deorum optime, Mercuri, ubi tandem Dea Pax, cum nos reliquisset, tamdiu occultata delituerit.

Quod cum rogasset chorus, Mercurius causas belli fraudesque Cleonis explicat et detegit. Non tamen, ut Dicaeopolis, culpam in meretrices confert, sed eam causam adducit, quae, ut ait Plutarchus (1) *χειρίστη μὲν ἦν πάσων, πλείστους δὲ εἶχεν μάρτυρας*, quamque etiam Diodorus Siculus refert. Nempe Phidias, celeberrimus ille statuarius, Pericli familiaritate summa conjunctus, ab inimicis accusabatur, quod auri partem, quod in Minervae statuam impenderet, surripuisset. Calumnia hacce non Phidias sed Pericles petebatur: nam sperabant, illum etiam, damnato Phidia, auram popularem amissurum. Quamvis accusatio falsa esset, Phidias tamen in vincula conjectus, (morbo an veneno incertum est) diem in carcere supremum obiit. Deinde adversarii philosophum Anaxagoram adorti, hunc quoque Periclis amicum facile perdidissent, nisi ille fuga periculo se liberasset. Quibus amicorum cladibus perterritus Pericles, cum eandem sortem et sibi imminere animadverteret, quia rationem pecuniae publicae nondum reddiderat, suam incolumitatem reipublicae saluti praeposuisse dicitur, atque

(1) Plut. in Pericl. 31. Diodor. Sic., Lib. XII in fine, qui ipsius Aristophanis versus hosce laudat.

ideo bellum excitasse, nam illo grassante, suam operam civitati necessariam fore arbitrabatur. Igitur

ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος
ἐξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον, ὥστε τῷ καπνῷ
πάντας Ἕλληνας δακρῦσαι, τοὺς τ' ἐκεῖ τοὺς τ' ἐνθάδε
ὡς δ' ἅπαξ τοπρῶτον ἤκουσ', ἐψόφησεν ἄμπελος
καὶ πίθος πληγεὶς ὑπ' ὀργῆς, ἀντελάκτισεν πίθῳ.
οὐκέτ' ἦν οὐδεὶς ὁ παύσων, ἥδε δ' ἠφανίζετο(1).

Ceterum gravissimus auctor Thucydides harum causarum mentionem facere non dignatur. Quae porro Mercurius affert, magis probanda sunt. Sociorum urbes nimio tributo oppressae, et avarum Atheniensium imperium non ferentes, missis Spartam legatis, proceres auro corruptos, ad bellum iis inferendum incitarunt. Tum agri invicem ferro ignique vastari, pagi et urbes incendi, miseri agricolae in urbes munitas confugere coeperunt. Pacem saepius in Atticam redire conantem plebs malis demagogorum artibus decepta semper repulerat. Atque ne plebs, vastatis agris, fame premeretur, scelestus Cleo ditissimos sociorum arripuit, eorum bona publicavit, et ex iis, tanquam cani, plebeculae cibum pabulumque praebuit. Quod cum cernerent reliqui socii, demagogorum os argento et auro obturarunt: itaque, istis ditescentibus, reliqua Graecia fere desolata fuit.

Plura locuturum interrumpit Trygaeus, qui, audito Cleonis nomine, legis meminit, quae mortuos

(1) Vs. 608.

increpari vetaret. Desine, desine, inquit, o Mercuri, iste jam tuus est, nec tuos sane ridebis. Dic potius si placet, cur Dea ipsa verba non faciat, sed semper sileat. — Vos eam ignominia affecistis, atque ideo ad vos loqui recusat. — Itaque tu! o Mercuri, cum ea colloquere, nobisque quid dicat, renuntia. — Mercurius Deam affatur, ejusque quaestionibus, tanquam interpres, respondet. Rogat tandem, quis mortuo Cleone, de suggestu in Pnyce ad populum concionetur. Trygaeus respondet: dominatur nunc Hyperbolus. Abominata istum Pax illico caput avertit, irata quod pessimum patronum sibi plebs elegisset. Quid enim, isto praeside, de pace fiet? De hoc Hyperbolo Plutarchus (1) agit. Cum ea tempestate duae partes Athenis essent, quarum altera Nician, altera Alcibiadem sequeretur, plebs inter hos divisa, a nequissimo quoque regebatur. Impudentissimus Hyperbolus, laternarum venditor, vile caput, ipso Cleone etiam pejor, inprimis multum valebat, et plebem contra ambos viros subornabat. Nicias et Alcibiades, ostracismi periculum metuentes, conciliatis partibus, effecerunt, ut iste Hyperbolus ostracismo in exsilium mitteretur. Initio quidem res ingentem apud omnes risum movit, verum mox populus animadvertit, quam turpe et indignum esset facinus vilissimum hominem ea poena honorare, qua olim Aristidem ceterosque optime de republica meritos cives afficere solebant. Itaque ostracismus abrogatus est. Recte enim Plato comicus ait:

(1) In Nic. XI.

καί τοι πέπραχε τῶν τρόπων μὲν ἄξια
αὔτου δὲ καὶ τῶν στιγμάτων ἀνάξια
οὐ γάρ τοιούτων εἵνεκ' ὄστραχ' εὑρέθη(1).

Paucis annis post Hyperbolus a conjuratis in insula Samo interfectus est (2). Summo jure Pax istum praesidem fastidit. Postremo Pax, cum comitibus Opora et Theoria Trygaeo traduntur, qui cum illis, Mercurio viam monstrante, lente descendit. Etenim scarabaeum, quo vectus fuerat, Jupiter abstulerat, ut fulminis minister foret.

Interim chorus in parabasi (3) solitis poëtam laudibus extollit, spectatorum benevolentiam captans. Laudatur Aristophanes, qui comoediae scribendae rationem emendarat, salibusque revera ingeniosis jocisque festivissimis ornaverat. Versus aliquot repetuntur, quibus in Vespis jam usus erat poëta, gloriatus, quod Cleonem primus omnium aggredi non dubitasset. Comici et tragici etiam acerbe perstringuntur.

Trygaeus, domum reversus, ridicula quaedam de dithyramborum poëtis, quos in aëre volitantes viderat, refert, et in Pacis receptae honorem sacrificium festumque parari jubet. Theoriam ad Senatum ducit, qui summo gaudio eam accipiunt. Nempe senatus curam Theoriarum, seu ludorum et legationum ad so-

(1) Plut. Nic. l. l.

(2) Thucyd. Lib. VIII, 73, qui eum vocat μοχθηρὸν ἄνθρωπον ὠστρακισμένον οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φοβὸν, ἀλλὰ διὰ πονηρίαν, καί αἰσχύνην τῆς πόλεως.

(3) Vs. 735.

lennia sacra facienda, gerere solebat; bello autem grassante Theoriae, Delphos et Delon ad Apollinem, intermissae fuisse videntur, saltem non solenni apparatu celebratae. Pace restituta, sacra ista denuo curare licebit. Prytanes quorum officium erat eos introducere, qui Senatum sibi dari cupiebant, semper pecunia corrumpi solebant, verum Theoriam nulla mercede accepta, gavisi introduxerunt. Redeunti Trygaeo (1) chorus gratulatur quod rem tanti momenti felicissime gessisset, quietem agricolis securam reddidisset. Sacrificium paratur, et omnes Deam Pacem supplices orant ut ipsos, armis proeliisque liberatos, semper defendat; ut civitates nullas lites in posterum exerceant; ut universa Hellas amicitia conjungatur.

Sacrificantibus supervenit haruspex Hierocles, homo neque arte sua praestans, neque bonis moribus laudandus, ac praeterea pacis, ut videtur, inimicus. Quaerenti, cuinam Deorum hostia mactetur, non respondet Trygaeus, eumque non videre sese simulat. Nequidquam diu Hierocles interrogat. Tandem Paci sacrificium fieri, audit. Extemplo vetera oracula profert, quorum auctoritate fretus, nefas esse dicit, pacem componi (2):

οὐ γάρ πω τοῦτ' ἐστὶ φίλον μακάρεσσι θεοῖσι
φυλόπιδος λῆξαι, πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.

(1) Vs. 911 seqq.

(2) Vs. 1076. Ex Thucydide liquet, revera fuisse oracula, quae Graeciae septem et viginti annorum bellum portendebant. Verosimile est eos, qui bellum renovari cupiebant, ea oracula non neglexisse, ut plebem superstitiosam allicerent.

Hieroclis argumenta Trygaeus Homeri auctoritate refellit :

ἀλλ' ὅ σοφός τοι, νὴ Δί' Ὅμηρος δεξιὸν εἶπεν.
Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου, ὀκρυόεντος (1).

Non salutis publicae causa, sed tantum carnis accipiendae ergo, haruspicem oracula cecinisse, mox apparet, verum impudenter flagitantem Trygaeus baculo abigit.

Suavissima vitae rusticae descriptio hanc scenam excipit. Chorus agricolarum (2) felicitatem canit qua rusticus gaudet, agris bene aratis coelique temperie favente. Domi sedens, coenam instruit, vicinos invitat, opiparis vescitur, et armis bellique timore liberatus, laetus messem exspectat. Redeunte vere, ex vitibus florentibus, ficubusque jam maturescentibus summum gaudium percipit. Comparat deinde has voluptates cum tristibus belli laboribus. Multo melius est ruri degere, quam arrogantis tribuni jussis obedire qui, cum gladio res geratur, relictis militibus fuga salutem quaerit. Civibus urbanis turpissimi isti ῥιψάσπιδες parcunt, agrestes autem vexant et opprimunt.

Instrumentorum rusticorum opifices grates Trygaeo quam maximas agunt: pace enim reddita, quaestus ex falcibus aliisque instrumentis fabricandis facere poterant. Armorum fabri omnes ad desperationem adacti, quiritant, et ridentur a ceteris. Pueri foras progredi-

(1) Hom. Iliad. Lib. I. vs.
(2) Vs. 1138.

untur, carmina convivalia canentes. Horum unus, Lamachi puer, nihil praeter proelia et vulnera cantat, sed Trygaeus ista non ferens puerum pellit. Cleonymi τοῦ ῥιψασπίδος puer meliora canit. Cleonymus iste ut quondam Archilochus, in pugna scutum abjecerat: quamobrem filius elegos Archilochi ad eam rem spectantes, canendo repetit, quod Trygaeo risum ingentem movit. Denique omnibus agricolis ad coenam convocatis, summa laetitia nuptiae Trygaei et Oporae celebrantur. Hymnus lascivus canitur, omnesque saltantes et laeta precantes scenam relinquunt.

Quatuor comoediae, Acharnenses, Equites, Vespae et Pax nobis plebis Atheniensis conditionem, per decem priores belli annos, continua quadam serie exponunt, et, si Daetalenses Babyloniique nostram aetatem tulissent, totam periodum a Periclis morte usque ad pacem Niciae Aristophanis fabulis illustratam nobis adspicere licuisset. Quonam consilio, quanam arte poëta, quidquid reipublicae prodesset vel obesset, animadverterit, malevolos notaverit, vitiaque exagitaverit, summa licentia infimos aeque ac nobilissimos persecutus, ex quatuor, quas explicuimus, comoediis luculenter apparet. Postquam vero Alcibiades plebem incitaverat, ut exercitum in Siciliam mitterent et hac expeditione rempublicam gravissime afflixerat; cum et ipse brevi ejectus ad hostes transiret, et patriae bellum inferre non dubitaret, atque res Atheniensium in dies magis in perniciem ruerent, Aristophanes argumenta politica magis neglexisse videtur; ex septem fabulis quae, praeter quatuor illas, aetatem tulerunt,

duae tantum politici argumenti dici possunt, videlicet Aves et Lysistrata. Nam Ecclesiazusae, licet multa politica contineant, magis ad deridendos philosophos scriptae esse videntur. Pulcherrima Avium fabula *ἀλληγορικῶς* universa Atheniensium respublica deridetur, sed joci salesque non tam acerbi et perspicui sunt, quam in aliis dramatibus politicis: poëta consilium suum magis abscondit. Lysistrata tum nimis obscoena tum et illepida est, neque legentibus placere potest. Quinque reliquae fabulae exagitandis sophistis, poëtis, mulieribusque inserviunt: una divitias et paupertatem inter se confert, etsi in omnibus multa quoque, quae politica sunt, inveniuntur.

CAPUT SEXTUM.

AVES.

ἀλλὰ λέγειν ζητῶ τι πάλαι μέγα καὶ λαρινὸν ἔπος τι
ὅτι τὴν τούτων θραύσει ψυχήν· οὕτως ὑμῶν ὑπεραλγῶ
οἵτινες ὄντες πρότερον βασιλῆς . . . .

Tametsi tragici, majore argumentorum gravitate, et dictionis dignitate comicis multum sunt anteponendi, tamen inventione non raro ab iisdem longe superantur. Nempe tragicus fabulas et antiquioris aevi mythos celebrat, quibus nihil notius et tritius; cuinam enim Graecorum Troja, Thebae, Argi et Mycenae ignota fuerunt? Ex hisce fabulis, paulisper immutatis labore non ita gravi nova tragoedia condebatur, praesertim cum poëta, cognitis aliorum erroribus, et vitiis emendatis, drama suum populo acceptius reddere posset. Verum argumentum, quod rerum novitate animos moveat, et leporum elegantia omnibus placeat, inventu difficilius videtur; plerumque ex ingenio comicus cuncta fingere coactus est. Quo inusitatiores joci, eo quoque plebi acceptiores erant. Itaque fieri non po-

tuit, quin ridicula multorum dramatum inscriptio, chorusque variorum animalium forma nonnumquam indutus, ingentem spectatoribus cachinnum moverint, quid sibi vellent ista monstra, quaerentibus, et quid histrio dicturus sit, impatienter exspectantibus. Aristophanes, neque primus, neque solus fuit comicorum, qui Vespas, Ranas, Nubes in scenam produxerit. Jam Epicharmus, Pherecrates, Eupolis, aliique, quorum fragmenta passim in Athenaei Deipnosophistis servata sunt, ejusmodi spectaculis plebem delectare studuerunt. Huic comoediarum generi quoque annumerandum est drama, Aves inscriptum, quod, ut inventionis festivitate, jocorumque jucunditate ceteris Aristophanis fabulis longe praecellit, ita explicatu difficillimum videtur. Nomen a choro avium desumtum est.

Sex ferme anni praeterlapsi erant ex quo fabula Pax acta fuerat. Quam perturbatae res Graeciae fuerint, pace Niciae facta, ostendimus. Magnopere verendum erat, ne bellum rursus excitaretur. Argivi cum Atheniensibus, invitis Lacedaemoniis, foedus inierant, induciasque in centum annos sanciverant. Alcibiadis artes Niciae consilia eluserant, populusque ferocem juvenem prudenti et seni imperatori praeposuerat. Alcibiades ipse Argos missus est, socios contra Lacones defensurus. Quamvis Corinthii, rupto cum Argivis foedere, se Lacedaemoniis denuo junxissent, tamen Argivi bellum non detrectabant. Spartanorum rex, Agis, si fortuna usus fuisset, Argivorum copias, undique ab hostibus inclusas, nullo negotio ad incitas

redegisset, sed occasionem imprudens praetermisit, quod ei magno probro postea fuit. Quam autem ignominiam in sequente anno, decimo quarto postquam bellum inchoaverat, delevit, devictis magno ad Mantineam proelio adversariorum copiis, non Argivis tantum, sed et Atheniensibus, quorum duces Laches et Nicostratus ambo sunt caesi. Haec clades Argivorum animos ita fregit, ut confestim pacem foedusque cum Lacedaemoniis inirent, democratiam solverent, rerumque summam ad optimates deferrent. Mantinea victoribus tradita, imperiumque Peloponnesi, quod iis fere ereptum videbatur, Lacedaemoniis restitutum.

Verum plebs Argiva, spreto optimatium imperio foederisque pertaesa, oligarchiae et Lacedaemoniis faventes omnes ejecit, et democratiam restituit, foedus etiam cum Atheniensibus renovavit. Exsules ad oppidum Orneas se contulerunt, sed mox ab Atheniensibus suisque bello petiti, relicto oppido, in fugam sese dederunt. Lacedaemonii, agros tantum depopulati, Spartam, infecta re, redierunt (1).

Quibus peractis, aliquantum temporis omnes quieverunt tanquam oculos in Athenienses convertissent, qui magnam classem et ingentes copias terrestres parabant. Civitas enim haec, maritimo imperio freta, mercatura florens, dum cives quieti agris colendis operam dabant, damna, bello accepta celeriter compensavit. Sociorum urbes, Scionaeorum poena deterritae, fidem servabant: insula Melos, quae per septem saecula

(1) Thucydides. Libro V.

libertate gavisa fuerat, armorum vi, sed summa injuria, in potestatem redacta est, ceterisque urbibus metum incussit, ne deficientes graviore etiam poena coërcerentur. Bellum quod in Peloponneso una cum Argivis contra Lacaedemonios gerebatur, non tam ad Athenienses, quam ad Argivos pertinere censebatur. Nam pax, a Nicia et Plistoanacte facta, licet ab utroque populo saepius rumperetur, tamen ita observata est, ut nec Athenienses Laconiam peterent nec Lacedaemonii Atticam infestarent.

Hoc rerum statu, tempus rei gerendae fore rati Athenienses bellum Syracusanis inferendum decernunt. Quinto jam belli anno Leontinis auxilia miserant, qui illis opem contra Syracusanorum insolentiam ferrent; sed revera, ut insulae situm urbesque explorarent, et incolas cognoscerent: sperabant enim, fore, ut opulentissima et celeberrima insula aliquando suae ditionis fieret. Bellum diu impedimento fuit, quominus majorem ejus rei curam gererent. Tandem, pace, ut videbatur, composita, opportunam rei aggrediendae occasionem dederunt Egestani, auxilia contra Selinuntios rogantes. Populus facile ab Alcibiade adducitur ut classis exercitusque in Siciliam mittantur. Nequidquam Nicias, longinquam navigationem, commeatus parandi difficultatem, ingentes sumtus, pericula, accurata oratione exponit, ut incepti temeritatem ostenderet; populum, vana spe arrectum prudentis viri verba non movent. Alcibiades, qui majorem suae gloriae, quam salutis publicae rationem habebat, operae difficultatem ita extenuat, et magnificis promissis

animos ita accendit, ut plebs, tamquam victa jam Sicilia, Carthaginem Italiamque cogitet. Tantos spiritus iis dabat classis centum et triginta quatuor navium longarum, omni bellico apparatu copiose instructa, quam ingens onerariarum numerus sequebatur; tantam spem erigebat exercitus lectissimus, robur juvenum et aliorum civium, qui gloriae cupiditate abrepti facilemque praedam fore opinati, hujus expeditioni interesse cupiebant. Duces electi, Alcibiades, Nicias et Lamachus; quis enim illius alacritati, hujus consilio, Lamachique fortitudini resisteret?

Cum classis jamjam profectura esset, procax facinus rem turbavit. Omnia Mercurii simulacra, quae, religionis causa, in plateis vicisque Athenarum collocata erant, Hermae vocata, capite truncata et fracta reperta sunt: qui vero facinus perpetraverant, nusquam inventi. Populus, ista re perterritus et funestum belli omen id esse ratus, magistratus jussit, omni cura in criminis autores inquirere. Nam, ut ait Thucydides (1) *τὸ πρᾶγμα μειζόνως ἐλάμβανον · τοῦ τε γὰρ ἔκπλου οἰωνὸς ἐδόκει εἶναι, καὶ ἐπὶ ξυνωμοσίᾳ ἅμα νεωτέρων πραγμάτων καὶ δήμου καταλύσεως γεγενῆσθαι.* Criminis Alcibiades ab inimicis accusabatur, et confestim causam ille dicturus erat, cum adversarii, metuentes, ne militum turba imperatorem dilectum absolveret, rem in praesens differendam esse censerent. Absentem enim ducem facilius sese oppressuros, arbitrabantur, quam praesentem, militum caterva stipante, in jus rapere. Alcibiades, cum inimicorum

(1) Lib. VI. 27.

fallaciam plebisque levitatem satis cognitam haberet, iis haudquaquam fidit, et ea, quae mox evenerunt, animo praesagiens, mature saluti suae consuluit. Vixdum profecta classe, novis criminationibus ejus adversarii plebem mobilem ita irritarunt, ut, occisis plerisque, qui ob illud crimen correpti et in vincula conjecti erant, navem publicam (τὴν Σαλαμινίαν) in Siciliam mitterent quae Alcibiadem ad capitis causam dicendum retraheret. Verum ille periculo evitato, Siciliam reliquit, et initio Argos, mox Spartam se contulit, graves ab ingrata patria poenas repetiturus. Quamvis, amisso Alcibiade, res Atheniensium gravissime affligerentur, tamen Nicias, diligentis ac strenui ducis officio functus, victis proelio Syracusanis, urbem ipsam obsidere jam parabat. Interea Corinthii, quorum colonia erant Syracusae, Peloponnesi civitates ad auxilia iis mittenda, exhortabatur. Magnum enim sibi totique Graeciae periculum imminere, si Athenienses, expugnatis Syracusis, victores discederent, et ceteras civitates bello persequerentur. Idem quoque sociis et Lacedaemoniis ipsis videbatur: itaque bellum contra Athenienses quod per sex ferme annos intermissum erat, omnes decernunt, et auxilia Syracusanis mittunt. Alcibiades ipse eos ad bellum, oratione Spartae habita, stimulavit (1).

His temporibus, cum non Athenienses solum, verum etiam omnes Graeci oculos in Siciliam converterent, variique rumores quotidie spargerentur, qui,

(1) Thucyd. Lib. VI. Plut. in Alcib.

prout laeta vel tristia afferrent, levia civium ingenia maxime movebant, Aristophanes fabulam, Aves inscriptam, docuit. Quemadmodum antea cives vituperaverat, quod pacem negligerent et demagogis fidem nimiam haberent, ita nunc in totius reipublicae administrationem invectus, eam tam depravatam esse contendit ut novis prorsus legibus, novis magistratibus, quin et novis Diis opus sit civitati. Veteres leges, veteres magistratus auctoritatem amiserant; Dii ipsi urbem praecipitem dari ab insanis juvenibus patiebantur. Non disertis quidem verbis poëta hoc pronuntiat, sed ἀλληγορικῶς in hoc dramate festivissimo indicat. Athenienses cum avibus comparantur, quae, cum olim magnum in homines imperium exercuissent, incuria et ingenii levitate hanc potentiam amiserant: aeque ac Athenienses, qui devictis Medis, ad summum honoris imperiique culmen evecti, ipsi imprudentia sua gloriam et felicitatem pessumdederant.

Finguntur Pisthetaerus et Euelpides, non infimi ordinis cives, alter graculo vectus, alter cornici insidens sublimes abire, apud aves meliorem habitandi locum quaesituri. Nostram quidem patriam, inquit Euelpides (1) non odimus, sed a sycophantis judicibusque vexati aliam sedem quaerere cogimur. Conferimus nos ad Terea, qui olim Thraciae rex fuit, et postea in avem upupam (ἔποπα) mutatus est, qui nobis πόλιν ἀπράγμονα monstrabit. — Non sine periculo viatores ambo ad nidum, seu domum Epopis perveniunt, pulsatis-

(1) Vs. 35.

que foribus, a trochilo, avicula quae Terei seu Epopis serva fingitur, excipiuntur. Trochilus initio eos aucupes habet, ideoque admittere negat; mox autem meliora edoctus, Epopa hujus rei certiorem facit. Scena inter Epopa et homines illos adjecta est ad deridendum Sophoclem, ut refert Scholiastes.

Euelpides Epopi causam explicat, cur, relicta Athenarum urbe, ad aves confugiant, et quaerit quamnam urbem potissimum petant, ut feliciter vivere possint. Beatissima quaeque loca optima fore. Age, inquit Epops (1), ad mare rubrum urbs...... Dii meliora, nunquam ad mare habitabimus, nam judices non effugeremus: quin summo mane Salaminia navis apparet, quae reos undique ad causas dicendas cogit (2). Lepreum Elidis oppidum hoc tempore non ignotum ob dissidia et bellum, super eo gestum inter Eleos et Lacedaemonios, Opusque Locrorum urbs, non magis placent. Itaque apud aves manere earumque vita jucundissima frui ambo statuunt. Extemplo Pisthetaerus Epopa admonet, ut, collectis undique avibus, ingentem in aëre urbem condant; sic enim non hominibus solum aves imperitare, sed ipsos Deos ad incitas redigere possent. Quomodo enim sacrificiorum nidor, quo Dii vescuntur, ad Olympum perveniret, intercluso ab avibus coelo? Ut Athenienses, Delphos

---

(1) Vs. 144.

(2) Fortasse ad Alcibiadem haec verba referenda sunt. Ceterum, quam injuste Athenienses erga socios insulanos agerent, jam vidimus.

profecturi, a Boeotis transitum poscunt, ita Dii mox aves precabuntur, ut hostiarum fumum ad coelum penetrare sinant. Mirifice res Epopi placet: aves convocat, cum quibus novus ille Theseus consilia communicet.

Suavissima fictione praeconis officium lusciniae, quam Aristophanes nonnullorum auctorum exemplo, Procnen Terei conjugem habet, injungitur, ad cujus canoram vocem omnes aves conveniunt. Epops eam pulcherrimo hymno (1) ex nido elicit et simul cum ea varia volucrium genera alio hymno arcessit. Nec morantur illae. Quarum cum magna vis colligitur, Pisthetaerus et Euelpides nomina recensent, et nonnullos Athenienses, qui vitiis vel forma aves quosdam referebant, jocose perstringunt. Verum aves, visis hominibus, magnopere indignantur, quod Epops tam infestos hostes receperit. — Nonne ab antiquissimo inde tempore hominum genus nobis infestissimum et inimicum semper fuit? Parentes, avi, proavique nostri miserrima strage ab his scelestis occisi sunt; vix ipsae insidias, quotidie nobis structas, evitare possumus. Amentis profecto est, talem pestem admittere. Quibus dictis, graviterque increpato Epope, cunctae volucres, magno sublato clamore, in infelices mortales impetum faciunt. Repentino tumultu consternati illi, arreptis olla et veru, ridiculam et inutilem defensionem parant, sed procul dubio misere lacerati mortem occubuissent, nisi Epops

---

(1) Vs. 208.

eos servasset. Quid, o stulti, eos occiditis, antequam adventus causam audiveritis? sunt hostes, fateor, sed nonne ab hostibus utilissima quaeque docemur? En vobis, muros, tecta navesque longas, unde haec nobis essent, nisi ab hoste coactis? Viri hi e sapiente Hellade huc venerunt, rem magni momenti vobis communicaturi; certiores vos facient, omnia quae cernitis, in vestra fore potestate, modo eorum consiliis aurem praebeatis. — Qua Epopis oratione motae volucres, Pisthetaero permittunt, ut mentem suam explicet; inducias enim fore, donec peroraverit (1).

Facetissimis argumentis Pisthetaerus avibus demonstrat, ipsas, teste Aesopo, omnium rerum, quin Deorum tellurisque, primas fuisse, atque ideo summo jure imperium universi mundi sibi posse vindicare. Initio quoque homines non Diis sacrificasse, sed aves divino honore prosecutos esse: gallum gallinaceum hodie adhuc avem Persicum nominari, quia quondam totius Persidos ipsiusque Darii rex fuerat. Porro. Nonne omnes fabri ferrarii, lignarii aliique opifices galli cantu audito, mane ad opus faciundum properant? Hoc unum ei e tanto regno remansit. — Nonne in his jocis serium latet? nam Athenienses quoque *αὐτόχθονας* se esse gloriabantur, atque ob eam rem dignos, qui ceteris Graecis praeferrentur; Aristophanes eandem praestantiam avibus jocose tribuit et ideo, ut illi totius Graeciae imperium cupiebant, ita his totius orbis terrarum imperium addicendum judicat. Utrumque

(1) Vs. 465.

vanum et ridiculum summo jure Aristophanes exagitat. Nonne versus

ἦρχε τε Περσῶν, πρῶτον πάντων Δαρείου καὶ Μεγαβύζου

eosdem acerbe objurgat, qui, spretis Marathonis et Salaminis tropaeis, intestina discordia accensi, non barbaros, sed Graecos, quin cives, bello persequebantur? Fortasse sub gallo gallinaceo aliquid latet, quod nobis hodie ignotum est, ab Atheniensibus vero recte intelligebatur. Praeter hanc avem Pisthetaerus milvum testem affert, quem verno tempore redeuntem, agricolae Attici, gavisi, quod hiemali frigore sint liberati, supplices venerabantur. Cuculi Aegyptios et Phoenices ad fruges metendas clamore suo excitant. Insuper regium insigne est aquila, quae olim Agamemnonis Priamique sceptra ornabat. Quin ipsi Dii aves secum habent, quae optimum victimarum nidorem priores lambant. Neque Deos tunc temporis homines jurabant, sed aves, ut hodie nonnulli philosophi et haruspices facere solent;

οὕτως ὑμᾶς πάντες πρότερον μεγάλους ἁγίους τ' ἐνόμιζον.
νῦν δ' ἀνδράποδ', ἠλιθίους, Μανᾶς·
ὥσπερ δ' ἤδη τοὺς μαινομένους
βάλλουσ' ὑμᾶς (1).

Omnes aucupes vobis retibus insidiantur captasque vendunt. Nonne Athenienses, eodem modo a demagogis decepti avium simillimam fortunam experiebantur? Quid poëta hisce Pisthetaeri verbis innuerit, quisque intelligit.

(1) Vs. 522.

Aves, pristini imperii desiderio commotae, confestim cum Pisthethaero de ejus recuperandi ratione deliberant, magnasque ei gratias agunt. Rem non difficilem, ait ille, quaeritis. Agite, totum aërem muro ingenti circumdemus et muniamus, ut una urbs fiat: deinde Jovi, missis legatis, imperemus, ut imperio se abdicet, et ad vos id deferat; tandem curemus ne mortales in Deorum, sed in vestrum honorem victimas immolent. Vos autem Deos esse facile credent: nam, praeter quod vos ipsae, ut plerique Deorum, teste Homero, alis utimini, multo quoque majora beneficia iu eos confertis, et in posterum conferre potestis. Vestra cura nullus vermiculus vineis frugibusque nocebit, vestro vaticinio usus nauta semper procellis immunis navigabit; vestro indicio thesauri invenientur, quos illi cuivis rei praeponunt. Insuper vos eorum vitam multis annis augebitis; quot enim inter vos esse dicuntur, quae per secula vivunt? Neque delubra multis sumtibus vobis exstruenda sunt, vel longinqua in Dodonem Ammonaque itinera suscipienda; quaevis arbor templum erit, sub cujus umbra sacrificabunt homines aliquot hordei grana. Valeat Jupiter cum ceteris Diis, quos ne nauci quidem faciemus.. Ingenti applausu res a cunctis avibus comprobatur; decernunt, ut summa imperii penes Pisthetaerum sit. Epopis domum intrant, ubi acceptis alis consilium rei perficiendae ineant.

Spectatores procul dubio magnum cachinnum sustulerunt, cum ingentia promissa, quibus Pisthetaerus credulas aves onerabat, audirent, sed fortasse non

intellexerunt, se ipsos ludibrio haberi. Nonne et ipsi Athenienses, cum ab Egestanorum legatis persuasi, ab imprudenti juvene concitati impetum in magnam et ignotam fere sibi insulam facerent, avium levitatem imitati fuerunt? nonne, Syracusis propediem expugnatis, Italiam Carthaginemque somniabant tanquam imperii fines in omnem orbem terrarum extensuri? Sane facilius aves in medio aëre nubibusque urbem construerent, quam parva utique civitas, prae tanta rerum mole, tam latam dominationem acquireret, aut acquisitam diu teneret. Itaque non dubito, quin Aristophanes civium vanitatem et stultitiam hisce jocis incuset: apertius loqui, ei non licebat, ne plebis gratiam amitteret. Res enim in Sicilia adhuc feliciter gestae spem et vanitatem multitudinis magnopere augebant. Aves imperium ad Pisthetaerum solum deferebant: hac in re sapientiores Atheniensibus, qui in ipso rei gerendae momento Alcibiadem (*πεισθέταιρον?*) damnatum in exsilium miserant.

Chorus in solenni Parabasi non, ut solebat, poëtae laudes celebrat, sed in philosophorum derisionem novam cosmogoniam excogitat, qua demonstret, aves priores exstitisse. Graviter ex nobilissima Homeri sententia mortales ita alloquitur (1):

Ἄγε δὴ, φύσιν ἄνδρες ἀμαυρόβιοι, φύλλων γενεᾷ προσόμοιοι
ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ, σκιοειδέα φῦλ' ἀμενηνά

(1) Vs. 686.

ἀπτῆνες ἐφημέριοι, ταλαοὶ βροτοὶ, ἀνέρες εἰκελόνειροι,
προσέχετε τὸν νοῦν τοῖς ἀθανάτοις ἡμῖν, τοῖς αἰὲν ἐοῦσι
τοῖς αἰθερίοις, τοῖσιν ἀγήρως, τοῖς ἄφθιτα μηδομένοισιν.

Nos enim vos omnia docebimus: valeant philosophi. Primum erant chaos, Nox, Erebus et Tartarus. Deinde Nox peperit ingens ovum, ex quo postea Amor est natus, qui ex Chao avium genus procreavit. Commixtis ab Amore omnibus rebus, Coelum, Terra, Diique immortales sunt orti. Sic nos omnium priores sumus. Quanta beneficia quoque in humanum genus conferimus! anni tempora indicamus, futura portendimus, verbo, felicitatis sumus auctores. Itaque homines non Deos, verum aves sacrificiis et divino honore prosequantur. Chorus etiam, quam suavem vitam aves degant, jucunde probat. Redeuntes in scenam Pisthetaerus comitesque de nomine, urbi imponendo, deliberant. Quippe magnae urbi magnificum etiam nomen convenit. Placet augustum nomen, Nephelococcygia. Aptius sane nomen, ad significandam totius rei inanitatem, excogitari nequit. Nonne Athenienses quoque, Siciliam Carthaginemque cupientes, Nephelococcygiam quandam condebant? Invento nomine omnes ad opus sese accingunt: lateres alter affert, alter macerat, tertius vigilat, praecones duo ad homines alter, alter ad Deos mittuntur. Quibus peractis solenne sacrificium *ὀρνῖσιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πασῇσιν* Pisthetaerus offert, ut sint urbi recens conditae propitii, precatur, ex ejusque limitibus ma-

la cuncta depellant. Formulae, quas Athenienses in victimis immolandis Diisque invocandis usurpare solent, rite a Pisthetaero observantur. Pro magistratibus autem avibus quibusdam vota nuncupantur, in quo forsitan aliquid festivi latet, nobis ignotum (1).

Sacrificantibus supervenit poëta, Pindaricis verbis hymnum tumidum in Nephelococcygiae honorem cantans. — Unde tu, malum? inquit Pisthetaerus. — Sum ego sedulus Musarum cultor qui carmina mellita dulci voce fingo. — Et quid tibi mecum? — Urbem tuam celebratum venio. — Quid? vix jactis fundamentis, tu jam hymnum confecisti? — Tum poëta, recitato Pindari fragmento, donum rogat. — Jam intelligo, donum accipiendi gratia venisti; bonam vestem cum tibi deësse animadvertam, hocce vestimentum accipe. Sed poëta insuper tunicam flagitat, ne frigore pereat. Qua etiam data, cantans abit. Avaritia poëtarum, qui mercede tantum data, carminibus operam dant, cujus vitii sublimis ille Pindarus, quamvis immerito, insimulatus fuerat, digna erat, in quam severius animadverteret Pisthetaerus, sed Aristophanes etiam poëta erat, et eorum imprudentiam ridere, quam perstringere maluisse videtur (2).

Vixdum profecto poëta, importunus vates sacrifici-

---

(1) Vs. 864 seqq. Ceterum sequentes scenae a proposito meo alienae fortasse videntur; sed cum indicant, quales cives e civitate ejiciendi sint, silentio non erant praetereundae.

(2) Vs. 890 seqq. Pindarum ipsum petere videtur, qui cum Hiero urbem Aetnam conderet, hymnum in ejus honorem confecit.

um turbat. Huic hominum generi infestissimus Aristophanes, semper in eorum impudentiam, mendacia, et superbiam acerrime invehitur. Vidimus in Pace, quemadmodum Hieroclem sit persecutus, atque in hac fabula severius etiam alium vatem insectatur. Hic enim ad altare accedens, impedit, quominus sacra fiant, antequam Bacidis oraculum ad Nephelococcygiam pertinens recitaverit. Pisthetaerus legentem vix audit cumque iste diceret: qui primus tibi haec oracula offerat, ei novam dari vestem, soleas et sacrificiorum partem Deus jubet; morosus rogat: *ἔνεστι καὶ ταῦτα*? ille *λάβε τὸ βίβλιον*, respondet. — Sed mihi quondam Apollo aliud oraculum dedit, visne audire?

αὐτὰρ ἐπην ἄκλητος ἰὼν ἄνθρωπος ἀλαζὼν
λυπῇ θύοντας καὶ σπλαγχνεύειν ἐπιθυμῇ,
δὴ τότε χρὴ τύπτειν αὐτὸν πλευρῶν τὸ μεταξύ ....

Interrumpit legentem vates. — Istane ibi leguntur? *λάβε τὸ βιβλίον* ait Pisthetaerus et actutum oraculi jussa, baculo arrepto, severe exsecutus miserum vatem urbe expellit (1).

Sed vituperandus est Aristophanes, quod celeberrimum mathematicum Metonem Nephelococcygiam venientem facit, et jocis insolentibus lacerat. Pisthetaerus enim eum quoque verberat, et urbe ejicit.

Festiva scena sequitur. in qua Pisthetaerus inspectorem (*ἐπίσκοπον*) et decretorum scriptorem (*ψηφισματογράφον*) qui leges Athenis afferebant, quibus Nephelococcygienses uterentur, verberibus expellit. Ceterum in

---

(1) Vs. 989.

hisce scenis eadem incuria offendimur, quam in Pace jam observavimus; Pisthetaerus et Euelpides, cujus poëta oblitus videtur, multo negotio ad aves pervenire finguntur, sed quomodo poëta, vates ceterique huc penetrarint, non apparet. In urbe nova condenda, haec omnia, de quibus Aristophanes mentionem facit, observabantur: sacrificium, vaticinium, urbis metatio etc. Decreta, quae inspector iste affert, ad colonias Atheniensium referenda videntur.

Turbatoribus hisce pulsis, Pisthetaerus scenam relinquit et chorus denuo ad spectatores se convertit. Primo sua merita extollit, et quemcunque qui aves in caveis inclusas habeat, eas dimittere jubet. Pulcherrima est descriptio vitae, quam aves per hiemem et aestatem sub densis arborum foliis antrisque frigori imperviis, omni cura liberatae, degunt. Festive judicibus persuadere conantur, ut poëtam suum praemio ornent (1).

Nuntiantur muri jam exstructi esse, summa avium diligentia, et mira de urbis magnitudine, moenium altitudine, opificumque alacritate narrantur; quin celeberrima Babylonis moenia nullo modo cum hisce comparari possunt. An poëta, cum haec scriberet, vallum cogitavit et risit, quo Nicias urbem Syracusas cinxerat? vallum eo tempore, quo Aristophanes comoediam scripsit, jam exstructum fuisse, vel saltem Syracusas oppugnari colligi potest ex vs. 362, quo Euelpides Pisthetaero dicit

ὑπερακοντίζεις σὺ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς.

---

(1) Vs. 1058 seqq.

quae *μηχαναὶ* procul dubio ad Syracusarum obsessionem pertinent.

Stationibus avium ubique dispositis, murus custoditur, ne quis Deorum hominumve clam urbem intret. Verum vigilum custodiam Iris fallit, in oppidumque a nemine visa pervenit. Ibi autem a nonnullis detecta est; magnus tumultus oritur, arma capiuntur, Diis bellum indicendum decernunt Pisthetaerus et aves. Capta Iris ad archontem perducitur (1). Acerbe eam increpat, quod audax et insolens fines avium imperii intrasset. Vix intelligit Iris, quid dicat Pisthetaerus, nam aves tam repente Deos esse factas, nondum cognoverat. Audita re, Aeschyli verbis terribilia Iris minari et suadere incipit, ne stultus Deorum iram accendat; verum Pisthetaerus, Euripidis versibus Jovem Deosque omnes ludibrio habet: se enim nec fulmina nec tonitrua timere, dum avium auxilio fidere possit. Bellum Gigantum se renovaturum. Iris irata ad Deos revertitur; Pisthetaerus imperat suis ut nullum thuris odorem aut sacrificiorum nidorem ad Olympum per aërem penetrare patiantur.

Qua re Deorum bilem moverat Pisthetaerus, eadem apud homines summam gratiam iniit. Redux praeco, qui ad eos missus erat, coronas aureas et alia dona affert, quas civitates gavisae avium archonti donabant. Qui antea Lacedaemoniorum partibus addicti fuerant, repente mutati:

---

(1) Vs. 1700.

ὀρνιθομανοῦσι· πάντα δ' ὑπὸ τῆς ἡδονῆς
ποιοῦσιν ἅπερ ὄρνιθες ἐκμιμούμενοι.

Sunt qui avium nomina assumsere. Atque vitae ratio, qua aves utuntur, ita nonnullos delectat, ut huc escendere et jus civitatis accipere constituerint. Etiam in hisce dicteriis joci latere videntur, quos non amplius intelligimus (1).

Audito nuntio Pisthetaerus corbes alis varii generis opplendos curat, quibus advenas donet, et venientes opperitur. Verum non omnes promiscue admittendos esse putat, sed examinandos, an tanto honore digni sint, ne pessimo quoque admisso, civitas praeceps detur. Primus, qui admitti cupit, est juvenis dissolutus (2), qui patris occidendi consilium ceperat, ut liberius voluptates suas explere posset. Apud aves enim patrem ferire aut interficere, non vitio, sed laudi esse arbitrabatur. — Erras! o bone, inquit Pisthetaerus, nam vetusta ciconiarum lege sancitum est ut pullus parentibus senio confectis cibos et alimentum praebeat. Attamen miseret me tui, en tibi has alas, nempe clypeum, hastam et galeam, proficiscere in Thraciam et strenuum militem te gere, ne tanto scelere polluaris. Dicto audiens juvenis extemplo abit. Multis fortasse juvenibus eo tempore eadem adhortatione opus erat!

Inflatum tumidumque dithyramborum poëtam Cinesiam qui lusciniae alas sibi petit et ampullas projicit, Pisthetaerus jure abigit. Quis enim istos, qui inani

---

(1) Vs. 1274.

(2) Vs. 1336.

verborum strepitu poësin ipsam corrumpebant, ferre possit?

Sycophanta quoque urbem Nephelococcygiam intrat (1). Hi calumniatores, quos comicus saepius et merito in scenam traducit, tanquam reipublicae pestem, ita dicti erant, quod, cum olim vetitum esset ficus ex Attica evehere, iste, qui detulerat hujus legis transgressores συκοφάντης (σῦκον φαίνω) audiebat. Nomen illud postea omnibus calumniatoribus inditum est. In ceteris Graeciae civitatibus isti quoque reperiebantur, sed nusquam perniciosiores fuere, quam Athenis, quia illuc omnes socii ad lites componendas venire coacti erant, plebsque ipsa judicia exercebat. Sapienti instituto Thuriensium legislator Charondas (2) eorum saevitiam coercuit. Nempe sycophantiae criminis damnatos myrica coronatos per urbem circumduci jussit ut cuique civium criminis atrocitas poenae turpitudine palam fieret; ὅπως ut ait Diodorus ἐν πᾶσι τοῖς πολίταις φαίνωνται πρωτεῖον τῆς πονηρίας περιπεποιημένοι. Nonnullos hujus poenae probrum ita perculit, ut sibi ipsi manus inferrent, et tandem nemo calumniari sit ausus, καὶ τὸ πολίτευμα μακάριον εἶχεν βίον τῆς τοιαύτης κακίας ἀπηλλαγμένον, teste eodem scriptore. Utinam Athenis etiam ea lex valuisset!

Sycophanta, morae impatiens alas petit. Quisnam tu es! — Insulanorum calumniator; alas mihi des rogo, quibus celerrime ubique possim advolare et bona

---

(1) Vs. 1409.

(2) Diodor. Sicul. Lib. XII, cap. 12.

rei corripere, antequam is Athenis, ex judicio redierit. Pisthetaerus, frustra eum ad saniorem mentem reducere conatus, eum eodem, quo ceteros modo, urbe expellit. Quis enim tantam pestem reciperet? Nemo, praeter hos, advenit, itaque Pisthetaerus scenam relinquit.

Confestim Prometheus, Saturnii olim imperii particeps, et generis humani contra juniorum deorum saevitiam sospitator, eum revocat (1) et nuntiat, actum esse de Diis: nam cum nulla sacrificia ab hominibus offerrentur nec thuris odor ad Olympum perveniret, omnes Deos mox fame perituros. Seditionem inter Jovem barbarosque Deos Triballos esse ortam et omnium consensu, decretum, ut legati ad aves mitterentur, qui pacis conditiones ferrent. Tu autem, o Pisthetaere, pacem iis dare noli, nisi Jupiter, sceptro avibus tradito, tibi puellam βασιλείαν in matrimonium det. Pulcherrima puella tibi cuncta donabit, quibus Atheniensium civitas gloriatur. — Recte mones tibique morem geram, ait Pisthetaerus. Hi joci plerique ad Athenienses referendi sunt, praesertim barbari isti Dii, quod et Athenis jus civitatis externis et peregrinis saepius impertiri solebat.

Verum dixisse Promethea, mox apparet. Veniunt legati Neptunus, Hercules et Triballus, barbarus Deus, indignante quidem Neptuno, qui, tanquam Atheniensis fuisset, gemebundus exclamat:

---

(1) Vs. 1493.

ὦ δημοκρατιὰ, ποὶ προβιβᾷς ἡμᾶς πότε
εἰ τουτονί γ' ἐχειροτόνησαν οἱ θέοι! (1)

Hercules, qua solet jactantia, minas horrendas spargit. Verum Pisthetaerus, qui ejus mores optime noverat, utpcte quem comici semper ut voracissimum et gulae deditum traducebant, coenam et lautas dapes apparari jubet, et ad eam legatos invitat, modo pacis conditiones accipiant. Hercules, dapium cupiditate allectus, confestim assentitur, frustra negante Neptuno, quia Triballus etiam eas probat. De puella *Βασιλεία* tamen altercatio oritur, sed Pisthetaerus Herculi demonstrat, eam ad ipsum non pertinere, quippe qui nothus erat, et ex lege Solonis patris hereditatem accipere non poterat, quod legitimi fratres superstites essent. Ubinam ergo, o Hercules, tuum jus, patre mortuo, cum ex lege Neptuno Plutonique fratribus omnia bona Jovis cedent? Quibus argumentis persuasus Hercules, assentire conditionibus non gravatur; Neptunum Triballus cogit. Itaque pace rata Pisthetaerus cum iis, excepto Hercule, qui carnem assare mavult, donec reversi essent, in Olympum ascendit, imperium et puellam a Jove accepturus.

Chorus redeunti victori obviam procedit, ejusque uxorem laudibus summis celebrat. Cantato hymenaeo festivo, omnes saltantes maritum novamque nuptam prosequuntur.

Laetum hunc exitum elegantissima, meo judicio, fabularum Aristophanis habet, sed tristissimo successu expeditio in Siciliam, in quam perstringen-

(1) Vs. 1568.

dam fabula mihi scripta videtur, nobilis fuit. Sane mentem poëtae melius intelligeremus, si avium genera, quarum mentio fit, nobis non ignota essent, hominesque cognosceremus, qui sub avium specie in scenam traduci videntur. Aristophanes tamen admodum prudenter sales et irrisiones ita occultavit, nam adversarii populo facillime persuadere potuissent, ut crederent comicum etiam inter eos fuisse, qui truncandis Hermis tantam iram et indignationem plebis sibi contraxerant. Nam permulti eorum, qui ejus criminis accusabantur, indicta causa, extemplo necati sunt. Ceterum non expeditionem tantum deridet, sed etiam multa vitia, quibus respublica infecta erat, reprehendit. Acerbe Euelpides causam cur Athenas relinquere mallent, exponit

Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ
ἐπὶ τῶν δικῶν ᾄδουσι πάντα τὸν βίον. (1)

Pisthetaerus leges Atheniensium, quas *ψηφισματόγραφος* attulerat, accepturum se negat (2). Multaque passim festive dicta in demagogos, plebis stultitiam, malam rerum administrationem legentibus occurrunt. Sunt quoque, qui putent, Aristophanem Avibus populum exhortari voluisse, ut Deceliam Atticae castellum, praesidio firmarent, ne Lacedaemonii ex eo hostilibus excursionibus in agros, urbem commeatu terrestri privarent. Notum est, Alcibiadis consilio Lacedaemonios castellum istud occupasse; verum Aristo-

(1) Vs. 40.
(2) Vs. 1035.

phanem, hominem minime militarem neque publico munere functum, illud suspicatum fuisse, non vero simile nobis videtur. Etiam disertis verbis illud dixisset, sed non ambagibus obscurasset, si Deceliam cogitasset; quid enim utilius saluti communi suadere potuit? Fluctus in simpulo sane excitasset si hoc consilio aves scripsisset. Fortasse per sortem Deorum, qui fame ad pacem componendam cogebantur, Athenarum periculum innuit, quod iis immineret, quando, amissis in Sicilia classe et exercitu, hostes undique urbem ad incitas redactam obsidione cingerent commeatumque exciperent, sicut Lysander postea fecit. Conjicere saltem in re obscura licet.

Quodsi poëta stultitiam civium et vanitatem spei potiundi Syracusis incusare hac comoedia voluit; verum ipsum monuisse, eventus docuit. Initio quidem fortuna temerariis inceptis favit, sed ut graviore mox clade animos percelleret. Nicias et Lamachus, fuso exercitu Syracusanorum, urbem oppugnare coeperunt. Cadit in proelio Lamachus, et Nicias, corpore aeger, animique haudquaquam fidens, rem solus gerere cogitur. Graecii socii oppugnatis auxilia, ducemque Gylippum Spartanum mittunt. Incassum Nicias cives monet, ut de temerario incepto desistant, aut aliam classem aliosque imperatores mittant. Tandem Athenienses, licet ruptis induciis, integrum bellum cum Lacedaemoniis, qui Deceliam occupaverant, gerere deberent, omnibus viribus annisi sunt, ut aliam paratiorem etiam classem ducibus clarissimis Demosthene et Eurymedonte pararent. Appulit classis: expositisque copiis, extemplo Epipolae, munitissima urbis pars, nocturna expeditione, oppugnabantur. Res praeter exspectationem cecidit; magna militum strages edita; classis in portu victa et inclusa. Una tantum salutis spes miseris supererat; ut vincerent classem hostium atque ita salvi domum redirent. Quis pulcherrimam ultimae navalis pugnae descriptionem apud Thucydidem non legit? imo, non vidit ipsos pugnantes? At victi sunt Athenienses, naves mersae; terra tum perrumpere conati sunt Nicias, et Demosthenes; nam Eurymedon jam antea ceciderat; militesque ad maritimam urbem aliquam perducere: sed in ipso itinere, sequentibus hostibus, maxima militum pars misere periit; reliqui, cum ipsis ducibus, sese hostibus dedere coacti; plerique in lautumias conjecti foedius etiam exspiravere. Nicias et Demosthenes ultimo supplicio affecti sunt. Athenae gloriam, potentiam, imperium in omne tempus amiserunt, poenasque superbiae et vanitatis acerbas dederunt. Verum fuit, quod olim Aeschylus pronuntiaverat in Persis:

ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν
ἄτης ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος.

CAPUT SEPTIMUM.

LYSISTRATA.

οὐκ ἔστιν ἀνὴρ ἐν τῇ χώρᾳ μὰ Δὶ οὐ δῆτ᾽ ἔσθ᾽ ἕτερός τις.
μετα ταῦθ᾽ ἡμῖν εὐθὺς ἐδόξεν σῶσαι τὴν Ἑλλάδα κοινῇ
ταῖσι γυναιξὶ ξυλλεχθείσαις.

Tribus, ut videtur, annis post actas Aves Aristophanes comoediam, quae Lysistrata inscribitur, edidit. Quamvis eam eodem consilio, quo antea Acharnenses et Pacem scripserat, ductus finxerit, ut cives ad pacem componendam admoneret, tamen non eadem, qua solitus erat, elegantia argumentum tractavit. Vix unum alterumve locum in tota fabula invenias, qui lectu dignus salibusve jucundus sit, in plurimos optime quadrat versiculus nostri poëtae in Vespis vs. 259, quo senes judices utuntur, cum prae tenebris vix cernerent, ubi incederent:

ἀλλ᾽ οὑτοσί μοι βόρβορος φαίνεται πατοῦντι.

Quo magis etiam miremur, eam tractandi rationem

iniisse poëtam, historia Graecorum ea tempestate comicis permulta ridenda et perstringenda praebebat in quae invecti, non infami jocorum turpitudine damnandi fuissent, sed laeta salium festivitate summas sibi laudes acquisivissent. Quod ut intelligamus, status rerum Atheniensium paucis explicandus erit.

Gravissima clade perculsi Athenienses, attamen non fracti, summis viribus annisi sunt, ut imminens excidium, hostibus undique prementibus, evitarent. Veteres in Piraeeo naves deductae, brevi tempore nova classis instructa, qua socios defectionem molientes coërcerent. Mille talenta, in Minervae templo deposita, quibus, nisi summo urgente discrimine, uti vetitum erat, in hos apparatus impendebantur. Quodsi hostes eadem vi et consilio, quo Lysander postea, omnes simul urbem terra marique aggressi fuissent, procul dubio civitas, amissis in Sicilia copiis oppressa, tantis hostibus succubuisset. Sed discordia et tarditas eorum Athenas in praesens servavit. Socii tamen nutabant: Euboea, Lesbosque cum hostibus agebant; Chiorum insula opulentissima palam ad Lacedaemonios defecit. Peloponnesii quoque, multis belli casibus edocti, quanti esset imperium marinum, classem ornatam Alcibiadi et Chalcideo dederunt, qui reliquas etiam urbes in Asiae littoribus tentarent. Horum inceptis imperatores Atheniensium Leo et Diomedon, imprimisque Phrynichus feliciter obstiterunt, quamvis impedire non possent, quominus Lacedaemonii foedus cum Tissapherne, Lydiae satrape, icerent et commeatum et stipendia nautis acciperent. Syracusani etiam nonnul-

las naves, duce celeberrimo Hermocrate Peloponnesiis auxilio miserunt. Res plerumque mari gestae: Agis, rex Spartanorum Deceliam praesidio firmarat, et inde Atticae agros late vastavit.

Verendum erat, ne Athenae, quamvis hostes tarde et inconsulte rem gererent, serius ocyus in eorum potestatem esset ventura, sed nobilis exsul, Siculae expeditionis auctor, afflictam patriam periculo eripuit. Etenim Alcibiades, Lacedaemoniis non immerito suspectus, insidiarum metu ad Tissaphernem confugit brevique multum apud satrapen gratia et auctoritate valuit. Quod ei spem fecit breviter in patriam redeundi si ad Atheniensium partes eum trahere posset. Sensim satrapae mentem a Lacedaemoniis abalienat, clam cum militibus Atheniensibus, qui Sami castra posuerant, agit, magnificis verbis gratiam, qua apud satrapen valeret, extollit, et ingentia promittit, si ipsum revocarent, et democratiam abolerent. Placet res militibus, invito Phrynicho imperatore, qui classem hostibus prodere malebat, quam Alcibiadem revocare; legatus ab exercitu in urbem mittitur Pisander, qui plebi eadem persuaderet. Aegre plebs, imperio jam centum annos assueta, ex quo Hippias ejectus erat, assentitur, sed nulla salutis spes iis erat, nisi cum Persarum rege foedus inirent. Missus ad Alcibiadem et satrapen Pisander, spe sua frustratus est, quia Alcibiades fidem promissis non praestabat. Nihilominus cum sociis suis amicisqne Athenas redux, in incepto persistit et democratiam solvit. Summum imperium ad quadringentos optimates delatum, etsi illi non suo

arbitrio, sed ex plebiscito quinque millium civium, rempublicam administrabant. Verum specie tantum iste civium numerus convocabatur ad comitia: mox ex suo arbitrio quadringenti isti superbe, avare et crudeliter imperium exercere coeperunt. Plebs attonita obmutuit, ut refert Thucydides (1): ἀντέλεγε δὲ οὐδεὶς ἔτι τῶν ἄλλων δεδιὼς καὶ ὁρῶν πολὺ τὸ ξυνεστηκός· εἰ δέ τις καὶ ἀντείποι εὐθὺς ἐκ τρόπου τινὸς ἐπιτηδείου ἐτεθνήκει· καὶ τῶν δρασάντων οὔτε ζήτησις, οὔτε δικαίωσις ἐγίγνετο· ἀλλ' ἡσυχίαν εἶχεν ὁ δῆμος καὶ κατάπληξιν τοιαύτην, ὥστε κέρδος ὁ μὴ πάσχων τί βίαιον, εἰ καὶ σιγῴη, ἐνομίζετο. Pisander et conjurati rem perficiebant: auctores autem ἅπαν τὸ πρᾶγμα ξυνθέντες, erant Antiphon, celeberrimus orator, Phrynichus, qui dux fuerat in Samo, et Theramenes, morte sua sub triginta tyrannis clarissimus.

Dum haec in urbe geruntur, rerum novatores in insula Samo et in castris nequidquam oligarchiam instituere moliebantur; imperatores enim Leo et Diomedon virique illustres Thrasybulus et Thrasyllus istos comprehensos morte aut exsilio multaverunt. Milites quoque, optimates urbem tenere, ita graviter tulerunt, ut confestim in Piraeeum naves cursum dirigerent ad democratiam restituendam. Prius tamen Alcibiadem revocari placuit; nobilisque exsul ad castra suorum reversus, statim exercitui et classi praefectus est. Quod cum audivissent optimates in urbe, legatos in castra mittunt, qui milites ab Alcibiade

---

(1) Lib. VIII, 66.

abalienarent, sed infecta re legati rediere. Dissensio inter urbem et castra tamen non impediit, quominus ambo bellum contra communes hostes acriter gerendum esse arbitrarentur; Alcibiades praesertim Tissaphernem a Lacedaemoniis avertere conabatur, utpote cujus auxilio illi plurimum nitebantur. Multi in urbe etiam oligarchiae pertaesi, veterem regiminis formam restitui cupiebant, et ipse Theramenes relictis optimatium partibus se cum illis conjunxit. Suspicio oritur, quadringentos urbem hostibus prodituros esse; Phrynichus in foro ab ignoto quodam occiditur, plebs mussitare et quadringentis obsistere coepit. Auget suspicionem classis Lacedaemonia, Piraeeum quae aggressura videbatur. Omnes ex urbe Piraeeum properant, hostes depulsuri et Hegesandridas dux hostium, omisso Piraeeo Euboeam cursum dirigit. Sequuntur Athenienses: certant pugna navali apud Eretriam, sed proditione Eretriorum et hostium virtute magnam cladem accipiunt. Quae calamitas tanto pavore Atheniensium animos perculit, ut confestim quadringentos imperio exuerent, quo facilius cum exercitu in Samo in gratiam redire possent. Quatuor menses quadringenti isti reipublicae praefuerant; iis ejectis, democratia extemplo restituitur, attamen tanta sapientia et moderatione, ut Thucydides ipse (1) testetur: *οὐχ' ἥκιστα δὴ τὸν πρῶτον χρόνον ἐπὶ γ' ἐμοῦ 'Αθηναῖοι φαίνονται εὖ πολιτεύσαντες· μετρία γὰρ ἥ τέ ἐς τοὺς ὀλίγους καὶ τοὺς πολλοὺς ξύγκρασις ἐγένετο· καὶ ἐκ πονηρῶν*

(1) Lib. VIII. 97.

τῶν πραγμάτων γενομένων τοῦτο πρῶτον ἀνήνεγκε τὴν πόλιν. Imperium militare ad Alcibiadem revocatum defertur.

Quo tandem tumultu et seditione liberati Athenienses, clarorum ducum auspiciis hostes ubique profligant. Thrasybulus et Thrasyllus Lacedaemonium Mindarum fudunt et fugant, et mox Alcibiades inimicos ad Cyzicum magna clade profligat, capta tota classe et Mindaro ipso caeso. Omnes urbes, quae defecerant, summus ille belli dux celeriter recipit. Nec Pharnabasus, Mysiae satrapes ei par fuit. Tum demum, tanta gloria ex victoriis navalibus et terrestribus Alcibiades, septem annis postquam urbe excederat, ad suos rediit et ingenti omnium favore receptus honoribusque cumulatus est (1).

His temporibus, Alcibiade nondum reduce, comicus Lysistratam composuit. Opportunam sane pacis conciliandae occasionem fortuna reipublicae praebuit, cum Athenienses, recuperato antiquo decore, et potentia, procul dubio aequis conditionibus pacem a victis toties adversariis impetrare possent, quam neque hi spernebant. Verum illi, quamvis cladibus multis et magnis saepius admoniti vicesque fortunae toties experti solita vanitate insaniebant, et Alcibiade freti, mox illustrem de hostibus victoriam sese reportaturos esse, confidebant. Nec ulla pacis mentio a Pe-

(1) Xenoph. Hist. Gr. Lib. 1. Thucydides pugnà, quae Thrasybulus et Thrasyllus Mindarum profligant, historiae suae finem imposuit.

loponnesiis, aut ab Atheniensibus facta, quamvis ex hoc dramate appareat, complures fuisse, qui eam suaderent. Cum a viris bellico furore occoecatis nil salutare exspectari posset, Aristophanes fingit, feminas Helladis pacandae consilium cepisse. Lysistrata, mulier Atheniensis omnes Graecas mulieres Athenas convenire jubet, ut una de rebus magni momenti deliberent. Pollicentur omnes, sese die constituta adfuturas; verum dies adest, illae autem cunctantur et tarde veniunt. Stomachatur Lysistrata easque incusat, quod ad res minoris momenti dicto citius praesto sint, ad concionem autem convocatae morentur. Dixeris, ait, eas omnes esse Athenienses

ἁπάντα δρώσας τοῦ δέοντος ὕστερον (1).

Tandem Atticae matronae veniunt, ex quibus Myrrhina et Calonice verba faciunt. Lacedaemonia adest Lampito, multaeque praeter eas Peloponnesiae, Boeoticae conveniunt. Frequenti concilio Lysistrata, Quaenam vestrûm, ait (2) non tenetur magno pacis desiderio et cupit, ut maritus ex acie revertatur, ne ipsa et teneri infantes viri praesidio careant? Vos omnes hujus fortunae avidas esse, pro explorato habeo; agite ergo, ad tantum opus perficiendum nos accingamus. Una tantum salutis ratio est qua bello finem imponere valemus. Renunciemus virorum commercio, si pacem componere nolunt, acropolin occupemus, ne argentum ex aerario in bellicos apparatus impendant, constantia nostra viros cogamus, ut cunctas Graeciae civitates in pristinam gratiam reducant atque efficient, ut sincero foedere reconcilientur.

(1) Vs. 56.

(2) Vs. 100 seqq.

Plerisque feminarum res non placet, verum Lampito et Lysistrata earum ignaviam ita incusant et stimulant, ut tandem omnes jurejurando sese obstringant, ne viros admittant antequam pax sit composita.

Interim chorus mulierum Acropolin occupat. Lampito Spartam proficiscitur, ut popularibus suis eadem persuadeat. Ad tumultum occupatae acropolidis chorus senum, vi vim arcendam ratus, ramos olivae virgultaque affert, quibus portas acropolidis incendant, et mulierum impudentiam severe poeniant (1). Indignum enim esse, arcem a feminis occupari, ex qua ipsi quondam Cleomenem Spartae regem, tyranno Hippia, pepulerant. Quae tamen res dictu, quam factu facilior est. Nam accensae faces, quibus portas cremarent et in mulieres impetum facerent, a choro feminarum aqua restinguuntur. Scena festiva, et Aristophanis ingenio digna. Senes se invicem incitant ad opem ferendam et poenas a scelestissimis mulierculis repetendas: mulieres ultro citroque cursitant ad aquam situlis afferendam, Deaeque Minervae auxilium invocant. Convicia ab utraque parte minaeque sparguntur. Tandem chorus feminarum, duce Stratyllide, imbellem senum turbam aqua perfundit, facibusque restinctis repellit, cum repente Senator (προβούλος) advenit senibusque auxilium affert (2). Qui

(1) Vs. 254 seqq.

(2) Vs. 382. Si προβούλος idem est ac ἐπιστάτης erat Pry-

cum arcem a feminis occupatam cerneret, multum de petulantia mulierum conquestus et virorum incuriam negligentiamque graviter increpans, jubet portas acropolidis summa vi effringi, ne insanae mulierculae reipublicae insultent rerumque potiantur. Lysistrata et Stratyllis vim vi arcent, et adjuvante mulierum caterva, Scythas, a Probulo adductos ridicule in fugam vertunt. Ille videt se vi nihil proficere; itaque colloquendo cum iis in causam inquirit, cur acropolin occupassent. Lysistrata totam rei causam et rationem exponit: ne pecunia vobis ex aerario esset, atque ita ad pacem componendam cogeremini, rem aggressi sumus (1); nos arcem servabimus. Indignatus Probulus, unde vobis jus est, inquit, de rebus ad bellum et pacem pertinentibus consulendi? — Jamdiu, respondit illa, vestram injuriam tulimus et mala consilia vestra reprehendimus, atque si nobis liceret, concionibus interesse et loqui, meliora decrevissemus, sed vos semper stulti et inconsulte agitis (2):

ἕτερον τι πονηρότερον δήπου βουλευμ' ἐπεπύσμεθ' ἂν ὑμῶν
εἶτ' ἠρόμεθ' ἄν· πῶς ταῦτ' ὦ 'νερ διαπράττεσθ' ὡδ' ἀνοήτως;
ὃ δ' ἔμ' εὐθὺς ὑποβλέψας, φάσκεν ἄν· εἰ μὴ τόν στήμονα νήσεις
ὀτοτύξει τοὶ μακρα τὴν κεφαλὴν. πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.

tanum praeses, et Senatus. Magna erat ejus auctoritas, sed tantum in unum diem, nam hoc amplissimo munere unum tantum diem fungebatur. In ejus custodia erat arx, claves templi Minervae et aerarii. Secundum nonnullos idem erat ac ξυγγραφεύς.

(1) Vs. 488 seqq.

(2) Vs. 516.

Quod cum non ferendum sit, nos ipsae Hellada ex periculis eripere statuimus: si nostris consiliis vos uti vultis, res perditas restituemus. Armis depositis res turbatas eodem modo componere et dirimere debetis, quo nos fusum intricatum explicamus. Ut nos lanam sordibus purgamus, ita vos urbem scelestis mundate. Sordibus abstersis, spinas istas evellite, quibus vestes lacerantur, istos ejicite qui magistratus gerunt, ut sibimet divitias comparent, et tum decebit vos:

εἶτα ξαίνειν εἰς καλαθίσκον κοίνην εὔνοιαν ἅπαντας
καταμιγνύντας τοὺς τέ μετοίκους, κεἰ τίς ξένος ἢ φίλος ὑμῖν
κεἰ τίς ὀφειλει τῷ δημοσιῷ καὶ τουτους ἐγκαταμιξαι.
καὶ νὴ Δία, τάς γέ πόλεις, ὁποσαί τῆς γῆς τῆσδ' εἶσιν ἄποικοι
διαγιγνώσκειν, ὅτι ταῦθ' ἡμῖν, ὥσπερ τά κατάγματα κεῖται
χωρίς ἕκαστον· κᾆτ' ἀπὸ τούτων πάντων τὸ κάταγμα λαβόντας
δεῦρο ξυνάγειν καὶ ξυναθροίζειν εἰς ἕν· κᾄπειτα ποιῆσαι
τολύπην μεγαλὴν· κᾆτ' ἐκ ταύτης τῷ Δήμῳ χλαῖναν ὑφῆναι.

Salutaris admonitio consiliumque Lysistratae Probulo non placet. Ira inflammatus, rursus mulieres aggressus, ridetur et abigitur.

Deëst in hac comoedia solennis Parabasis: in ejus loco chorus senum et chorus mulierum se invicem conviciis lacerant; senes feminas proditionis accusant: hae crimina refutant. Nonnullae tamen feminae jusjurandum violant. Sed permulta insulse, et obscoene dicta silentio praeterire malumus.

Constantia mulierum tandem vincit. Lacedaemonii praeconem mittunt Athenas, qui Dorica dialecto usus, exclamat (1):

(1) Vs. 980.

πᾶ τᾶν ’Ασανᾶν ἔστιν ἁ γερωσία
ἤτοι πρυτάνιες; λῶ τί μυσίξαι νέον

et legatos mox esse venturos nuntiat. Interim chorus senum et chorus mulierum in gratiam redeunt, unumque chorum constituunt. Legati Lacedaemonii et Atheniensis Polycharidas ad pacem componendam veniunt. Lysistrata, oratione habita, culpam in utrumque populum rejicit. Non enim eos qui festis communibus et sacris uterentur, decere se invicem bello petere, idque levissimas ob causas. Praeterea mutuis beneficiis Athenienses et Lacedaemonios esse obligatos: illos Laconibus auxilio fuisse, Messeniorum tumultu turbatis Spartaque ipsa terrae motu diruta: hos autem illos adjuvisse in pellendis tyrannis. Placet oratio legatis, sed de nonnullis castellis altercatio oritur. Verum Lysistrata iis persuadet, ut inducias ineant antequam de rebus parvi momenti disceptent. Omnes assentiuntur, pax rata habetur. Lysistrata legatos Laconum convivio excipit et chorum jubet argentum, vestimenta aliaque ad victum necessaria pauperibus donare. Lacones et Athenienses hymnos in Deorum honorem cantant: illi pulcherrimo hymno Thermopylarum et Leonidae recordantur, Diisque grates imprimis τῇ χαλκιοικῷ ’Ασανᾷ agunt. Atheniensium hymnus mira numerorum levitate multum a gravi Laconum cantu differt.

Ni fallor, Aristophanes, republica optimatium et plebis contentionibus perturbata, nimio periculo deterritus, comica libertate non tam audacter usus est, quam antea solebat. Lysistrata non ita ad Athenienses, quam ad omnes Graecos pertinet: paces turbatores,

quos in aliis comoediis objurgare non verebatur poëta, ne verbo quidem reprehenduntur; Alcibiadis, Phrynichi ceterorumque principum nulla mentio fit; tantum Pisandri nomen, modo is idem sit ac ille de quo supra diximus, occurrit. Turbas ipsas attingere ob leges comoediae non poterat; ne tristium rerum recordatione plebem offenderet. Cur Alcibiadem silentio praetermittat poeta, facile intelligimus; licet ejus viri consilia comicum non latuerint, tamen Alcibiades in praesens ita de republica meritus erat, ut summis laudibus celebrandus esset, plebisque gratia floreret. Et filius Cliniae terribilior hostis poëtae fuisset, quam antea filius Cleaeneti. Theramenem et Antiphontem ceterosque etiam, ob eandem causam silentio praeteriisse videtur. Itaque omissa reipublica, omissis magistratibus, poëta sapienter de pace disseruit, et summam laudem meruisset, modo argumentum solita elegantia et majore dignitate tractavisset. Ut Pacem Acharnenses, ita Pax Lysistratam longe superat, quae meo judicio omnium Aristophanis fabularum, quae hodie supersunt, pessima et minime elegans est habenda.

CAPUT OCTAVUM.

DE CETERIS ARISTOPHANIS COMOEDIIS ARGUMENTI NON POLITICI.

NUBES.

Notissima Aristophanis fabula, quae Nubes inscribitur, et Socratem plebeculae ridendum proponit, ut putant, magnam comico invidiam veterum et recentiorum contraxit. Plerique tantum virum ab isto conviciis lacerari, indignati, de omnibus Aristophanis dramatibus iniquum judicium tulerunt; alii autem, re diligentius examinata, Aristophanis causam egerunt, et non Socratem, verum sophistas a comico exagitari demonstrare sunt conati; Aristophanem tamen errasrasse, quod Socratem sophistam esse existimasset, cum ille sophistarum nugas semper magnopere sprevisset, infitias ire non possent. Quamvis haec res doctissimorum virorum curis ad liquidum fere perducta sit (1) tamen

(1) Ex. gr. Wieland. Hermann. Süvern aliique quos recensere nimis longum foret.

ab instituto meo non alienum fore putavi, paucis ostendere, quo consilio comicus Nubes docuisse mihi videatur.

Aristophanes, ne perculsos gravissima apud Delium clade Atheniensium animos offenderet et irritaret, si rursus in rempublicam inveheretur, Nubes edidit, ut cives, publico luctu oppressos, ridendis sophistarum nugis et arrogantia, delectaret. Etenim his temporibus duo sapientium genera fuerunt, quorum alteri, in rerum naturam, inquirebant, ut philosophi Jonici et Eleatici: alteri autem, Sophistae dicti tanto fastu moralem doctrinam profitebantur, ut se virtutem adeo posse docere contenderent, juvenesque ad rempublicam administrandam aptos reddere, qua praesertim rhetorica, exemplo Zenonis Eleatae ita utebantur ut vanas dialecticae hariolationes potius quam veram eloquentiam spectare viderentur. Hac arte Protagoras inprimis innotuit. Gorgias vero, Leontinorum legatus quinto belli Peloponnesiaci anno ad Athenienses missus, eloquentia dicendique facultate summas sibi laudes acquisivit et, orationibus suis juvenum animos ita accendit, ut fere omnes dicendi arti operam dare coeperint. Celeberrimi Sophistae Euthydemus, Hippias, Prodicus Athenas venerunt ibique scholas habuerunt. Verum eorum docendi ratio, tumida et arrogans juvenum animos, non utilibus doctrinis formabat, sed vana superbia inflatos reddebat: Sophistae enim ab auditoribus poscere audebant, qua de re quisque vellet audire, quia nullum disputationis genus a se alienum putabant, et in omnis orationis ratione

sese versatos esse opinabantur (1). Docebant etiam, quomodo causa inferior (*ἥττων λόγος*) dicendo superior (*κρείττων*) fieri posset.

Plato hosce Sophistas in dialogis suis saepissimi ludibrio habet et confutat; Aristophanes in Nubibus idem sed alia ratione facere studet. Philosophus subtili ratiocinatione sophistarum argumenta vana esse demonstrat: comicus eorum doctrinam moribus et ipsi reipublicae noceri ostendit. Utinum alio, quam Socratis nomine comoediam ornasset! nullus dubito, quin omnes festivissimi poëtae consilium approbassent. Verum gravissime labitur, quod sanctissimo nomine abutitur. Plerique ita judicant, sed ni fallor, Aristophanes ab hac culpa etiam defendi potest. Etenim Socrates qui tempore quo Nubes actae sunt, quadragesimum quintum annum agebat (2) diu in bello fidelem reipublicae operam navarat (interfuit enim Potideae obsidioni pugnaeque apud Delium) et vix in urbem rediisse videtur. Ibi discipulis collectis, Sophistas persequitur et brevi tanquam subtilissimus omnium Sophistarum celebratur. Placita autem ejus nondum satis nota nec temporis diuturnitate confirmata erant, quam ut omnes ea cognoscere aut in ea inquirere potuissent. Sed ironiam et subtilitatem ejus omnes admirabantur. Quid mirum Aristophanem, Sophistas risurum Socratis nomine, utpote qui celeberrimus fieri inciperet, comoediam ornasse? Aristo-

(1) Cf. Cicero, de Orator. Lib. III. cap. 32.

(2) Natus enim est A. C. 468. actae Nubes 423, mortem occubuit 399. Cf. Clinton. Fasti Hellen.

phanes in eundem errorem incidisse videtur, ac plerique hujus temporis Athenienses, quod luculentissime patet ex loco Apologiae Socratis (1). Socios erroris et criminis habuit comicos, Eupolin, Amipsian aliosque fere omnes, qui Socrati quoque non pepercerunt. Ex ipso dramate liquet, Aristophani Socratis placita docendique rationem ignota fuisse; nam in tota fabula nihil fere invenitur, quod ad ejus philosophi doctrinam pertineat, cùm omnia ad Sophistas summo jure referri possint. Argumentum Nubium breviter exponam. Strepsiades civis Atheniensis rusticus, obaeratus, et luxuriâ Phidippidis filii sui ad incitas fere redactus, filium adhortatur ut Sophistas adeat:

οἳ γὰρ διδάσκουσ' ἀργύριον ἤν τὶς διδῷ
λέγοντα νικᾷν καὶ δίκαια κᾄδικα (2).

Dicunt enim apud eos esse *λόγον ἥττονα καὶ κρείττονα*

τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν τόν ἥττονα
νικᾷν λέγοντα φασὶ τἀδικώτερα (3).

Si hunc *ἥττονα λογὸν* didiceris, mi fili, aes alienum,

(1) Plat. Apolog. Socrat. ed. Stallb. pag. 18. C. et D. ubi Socrates dicit: *Σωκράτης ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν καὶ ἄλλους τὰ αὐτὰ ταῦτα διδάσκων. — Ταῦτα ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτη τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν, καὶ ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα, ὧν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν περὶ ἐπαΐω· μάρτυρας δ' αὐτοὺς ὑμῶν τοὺς πολλοὺς παρέχομαι εἰ πώποτε ἢ σμικρὸν ἢ μέγα ἤκουσέ τις ὑμῶν περὶ τῶν τοιούτων διαλεγομένου. κ. τ. λ.*

(2) Vs. 97.

(3) Vs. 113.

quod tua causa contraxi, non solvam. Sed Phidippides patri morem gerere negat. Itaque Strepsiades ipse ad Socratem se confert, eum corbi pensili (*κρεμάθρα*) insidentem alloquitur, in quo ille huc et illuc delatus solem et aetherem intuetur. Socrates miranti agricolae rerum naturam ridicule explicat: Deos non esse, sed Nubium numine cuncta gubernari demonstrat. Ipsae Nubes, tanquam mulieres longis albisque vestibus indutae, in scenam descendunt, dum Socrates novum discipulum Strepsiadem docet, quanta earum sit potestas et quanto jure iis sacrificia ab hominibus sint offerenda. Verum nemo nescit, istis quaestionibus non Socratem sed Sophistas disputare solitos esse, nam Xenophon disertis verbis testatur (1): *οὔδε γάρ περὶ τῆς τῶν πάντων φυσέως διελέγετο, σκοπῶν ὅπως ὁ καλούμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔχει καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίγνεται τῶν οὐρανίων, ἀλλα καὶ τοὺς φροντιζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἄπεδείκνυε κ. τ. λ.* Igitur Aristophanes hisce jocis non Socratem, verum Sophistas, ludibrio habet, et aperte manifestat, sibi ignota esse placita summi philosophorum.

Deinde Socrates Strepsiadem grammatica arte erudire conatur, vel potius nugas inanes plerasque insulsas, utpote quibus Sophistae delectabantur, docet. Strepsiades subtilia ista non intelligit, et tandem ab irato philosopho dimittitur. Tum Phidippidem Socrati erudiendum tradit, qui juvenili mente ista capere melius et facilius poterat. Socrates ei potestatem dat, quem

(1) Memor. Socr. Lib. I. cap. 1.

vellet *τῶν λόγων* eligendi, *τὸν δικαίον ἤ τὸν ἀδικόν*. Ut discrimen inter ambos dijudicetur, ambo *λόγοι* colloquentes in scenam introducuntur. Pulcherrimus videtur iste locus mihi totius dramatis, nam comicus acri judicio et summa festivitate morum corruptorum causas explicat, mores ipsos depingit, Sophistarum dialecticam res pravas et vitiosas specioso nomine ornantem perstringit. Nihil enim hodie esse turpe, cuivis licere virtuti illudere: pessimum quemque maximos honores assequi; verum cùm ego adhuc florerem, inquit *δικαίος λόγος* (1) res in meliore statu erant: non pueros videres garrientes, sed omnes silentes ad citharoedum aut ad palaestram ibant. Modulis et rhythmo decenti utebantur ad canendum, non vero mollibus hodiernorum musicorum numeris corrumpebantur. Gymnasia et palaestra, non ut hodie, juvenibus perniciosa erant, sed quisque verecunde et decenter exercitiis operam dabat. Juvenes digno honore senio confectos prosequebantur

ταῦτ' ἐστὶν ἐκεῖνα
ἐξ ὧν ἄνδρας Μαραθωνομάχους ἥ 'μὴ παίδευσις ἐθρέψεν.

Itaque suadeo tibi, o juvenis, virtutem colas, malis te abstineas, officiis fungaris, ita felicem vitam deges, et nullis flagitiis contaminatus, cum sapiente sodale in Academia obambulans, beatissima sorte frueris.

Ad haec *ἄδικος λόγος*: Garris, inquit; quid boni utilisve unquam ex virtute comparabis? En tibi Hyperbolum, qui, sceleribus multa talenta acquisivit. Cur

(1) Vs. 959 seqq.

voluptatibus non uteremur, quas natura nobis dedit? Qui virtuti studet, insanus maximo bono caret. Nonne ipsi Dii quoque vitiis obnoxii sunt? anne homo magis, quam Deus, valeret? Insuper, ut tibi persuadeam, non ita turpe esse, impudicis et scelestis annumerari, circumspice theatrum, et dic mihi, quaeso, quinam convenerint? *Δίκαιος λόγος* negare nequit, omnes esse impudicos et homines nequam, qui Athenis degunt. Victus hisce argumentis ipse et Phidippides *ἄδικον λογὸν* superiorem esse fatentur.

Quam prava et injusta facinora ex hac disserendi ratione oriantur, Aristophanes insequentibus scenis exponit. Nam Strepsiades Phidippidis dicendi facultate fretus aes debitum creditoribus exsolvere negat, eosque insuper ludibrio habet. Sed petulantiae mox ipse poenas dare cogitur. Etenim cum Aeschylum Simonidemque Euripidi praeferat senex, Phidippides patri verbera infligit et recte se fecisse *τῷ ἀδίκῳ λόγῳ* probaturum sese contendit, laetusque exclamat (1):

ὡς ἡδὺ καινοῖς πράγμασιν καὶ δεξιοῖς ὁμῖλειν,
καὶ τῶν καθεστώτων νόμων ὑπερφρονεῖν δύνασθαι.
οἶμαι διδάξειν, ὡς δίκαιον τὸν πατέρα κολάζειν.

Ridiculis argumentis causam defendit (2). Etiam matrem verberaturum se esse dicit, sed senex, ira impatiens, detestatur injuriam Sophistarum, et non recte sese fecisse fatetur, quod filium iis erudiendum

(1) Vs. 1397 seq. et 1406.

(2) Altercatio Strepsiadem inter et Phidippidem adumbrata videtur ex Eurip. Alceste vs. 625 ubi Pheres et Admetus se invicem conviciis lacerant.

tradidisset, Deos negasset, debita non exsolvisset. Sed poenas ab istis repeto, vociferatur, agite servi, facibus accensis eorum domum incendamus. Dictum factum; omnes servi in *φροντιστήριον* impetum faciunt, atque ita comoediae finis imponitur.

Satis apparet ex hisce, comicum non Socratem, tamquam philosophum, sed Sophistas ridere voluisse, et Socratem principem Sophistarum habuisse. Philosopho comoedia non nocuit, nam etsi risum spectatoribus fabula moverit, tamen praemio non est ornata. Quo animo Aristophanes hoc tulerit ex Vespis (1) intelligimus:

πέρυσιν καταπροὔδοτε καινοτάταις σπείροντ' αὐτὸν διανοίαις,
ἃς ὑπὸ τοῦ μὴ γνῶναι καθαρῶς ὑμεῖς ἐποιήσατ' ἀναλδεῖς,
καί τοι σπεύδων πόλλ' ἐπὶ πολλοῖς ὄμνυσι τὸν Διόνυσον,
μὴ πώποτ' ἀμείνον' ἔπη τούτων κωμῳδικὰ μηδὲν' ἀκοῦσαι.

Nubes deinde emendatas rursus in scenam produxit sed non meliore fortuna actae sunt. Quin tertio eas docere voluisse putatur; adeo haec fabula ipsi placuisse videtur. Eminet sane reliquis festivitate, exceptis Avibus (2). Ceterum Nubes causam non fuis-

(1) Vs. 1044.

(2) In Avib. vs. 1531 etiam Socratis mentionem comicus facit, atque etiam semel in Ranis vs. 1490; ceteroquin Socratem nusquam nominat, licet eos, quibus infestus est Aristophanes, sae-

se, cur Socrates accusatus damnatusque sit, certissimum est; nam Anytus et Melitus viginti et quatuor demum annis post litem ei intentarunt.

THESMOPHORIAZUSAE.

Infestior etiam, quam Sophistis, Euripidi tragico fuit Aristophanes, quem in Acharnensibus atque in Ranis sed imprimis in Thesmophoriazusis acerrime persequitur, ludibrioque habet. Culpandus sane tragicus erat, quod tragoedias ad philosophiam ostentandam scriberet, atque ita pulcherrimam artem a Sophocle eximie excultam corrumperet. Igitur summo jure comicus eum increpat et Sophocli postponit, licet Euripidis merita libenter agnoscat, eumque tragicorum tertium esse profiteatur. Inprimis famosus erat Euripides odio, quo mulieres persequi credebatur. Phaedra, Medea, Stheneboea, exsecrationes Hippolyti semper ei ab inimicis objiciebantur nomenque *μισογύνης* propter sententias quibus mulierum mores identidem increpabat indebatur. At, qui isto nomine Euripidem notaverunt, non viderunt, poëtam, qui Macariam, Megaram, Alcestin, Polyxenam et Iphigeniam depingere posset et praestantissimas mulieres summis laudibus ornaret, sane non esse *μισογύνης* sed

pissime exagitet, Cleonymum, Cleonem, Hyperbolum, aliosque multos. Postea in amicitiam rediisse ambos viros, verosimile est. Cf. Plat. Sympos.

tantum malas castigandas, bonas vero admirandas esse existimasse (1). Ipse Aristophanes, quamvis feminas defensurus videatur, in Thesmophoriazusis aperte ostendit, gravioribus etiam criminationibus mulieres increpandas esse, quibus Euripides nimis adhuc pepercerat. Fingit enim, mulieres Euripidis calumniis offensas, solenni Thesmophoriorum festo (2) convenire ut inter se de poena, maligno poëtae infligenda, deliberent; contumelias enim istas non diutius esse ferendas. Quo periculo perterritus Euripides, cum familiari quodam Mnesilocho tragicum Agathonem adit auxiliumque rogat. Agatho ille, non pessimus tragicus, mollitia et luxuria infamis, vestibus et ornatu muliebribus uti solebat, atque ita turbae feminarum inmiscere sese facile poterat, a nulla tanquam vir agnoscendus. Obsecrat Euripides, ut ad mulieres, Thesmophoria celebrantes, clam se conferat et amici causam agat; ne tanto periculo succumbat capitisque damnetur. Negat vero Agatho se iturum, mulierum iram reformidans. Inops consilii, Euripides, (nam ipse eas adire haudquaquam poterat, quod statim agnosceretur) quo se vertat, nescit, et procul dubio perditus fuisset, nisi Mnesilochus opem tulisset. Hic enim sese iturum pollicetur barbaque rasa, crocota reticulo et mitra indutus, clam comitium intrat mulieribusque sese immiscet. Accusatur Euripides calum-

(1) Cf. clar. van Limburg Brouwer, Proeve over de zedelijke schoonh. der poëzij van Euripides, pag. 220.

(2) Celebrabantur Thesmophoria a solis mulieribus in honorem Cereris legiferae magna cum pompa sanctissimisque ceremoniis die 14—18 mensis Pyanepsionis.

niae et criminum, in mulieres perpetratorum, sed Mnesilochus poëtam longa oratione defendit et argumentis demonstrat, omnia vera eum dixisse: atrocia mulierum crimina exponit, fraudes, et turpissima quaeque refert, quae si vera fuerint, merito Euripides Hippolytum dicentem fecit:

ὦ Ζεῦ τί δὴ κίβδηλον ἀνθρώποις κακὸν
γυναίκας εἰς φῶς ἡλίου κατῴκισας (1).

Quibus Mnesilochi verbis auditis, concio virum latere nondum suspicata, valde stomachatur, impudentiam istius mulieris, occulta crimina palam effutientis non ferens. Plura dicturo Mnesilocho supervenit Clisthenes, luxuriosus et effeminatus quidam, mulieresque certiores facit de fraude, qua usus Euripides, misso familiari, sacra profanaret, Agnoscitur Mnesilochus, et Clisthenes extemplo Prytanim et sagittarios arcessit, qui meritas a scelesto poenas repetant.

Interim chorus pulcherrima parabasi, crimina et scelera, quorum feminae accusari solent facete diluit culpamque in viros transfert. Exempla vobis dabimus, o spectatores, ait, quantopere viris mulieres antecellant (2):

Ναυσιμάχης μὲν ἥττων ἐστὶν Χαρμῖνος. δῆλα δὲ τἄργα.
πρὸς Ἀριστομάχην δὲ χρόνου πολλοῦ, πρὸς ἐκείνην τὴν Μαραθῶνι,
καὶ Στρατονίκην, ὑμῶν οὐδεὶς οὐδ' ἐγχειρεῖ πολεμίζειν.

(1) Hippolyt. vs. 621.

(2) Vs. 785 seqq.

ἀλλ' Εὐβούλης τῶν πέρυσίν τις βουλευτής ἐστιν ἀμείνων
παραδοὺς ἑτέρῳ τὴν βουλείαν; οὐ δ' αὐτὸς τοῦτό γε φήσεις.

Quam apposite et facete haec dicta sunt! Charminus, non ignotus Atheniensium dux, anno superiore, ab Astyocho, Lacedaemoniorum imperatore navali proelio victus erat, non forte fortuna, sed sua ipsius negligentia et incuria. Ceterum quis non videt nomina *Ἀριστομάχην* et *Στρατονίκην*, ficta esse, ad incusandam Atheniensium ignaviam, qui bello Peloponnesiaco toties victi et nuper in Sicilia gravissima clade perculsi fuissent. Etiam *Εὐβούλη* fingitur Senatores increpandi causa, qui eodem anno munus suum ignave et tacite quadringentis istis optimatibus, de quibus jam locuti sumus, tradiderant.

Prytanis Mnesilochum vinctum sagittario custodiendum tradit, dum ipse rem ad Senatum refert, verum Euripides, Mnesilochi sortem miseratus, omnem lapidem movet, ut eum periculo liberet. Festivissima scena est, qua tragicus tamquam Perseus, Mnesilochum tanquam Andromedam eripere conatur. Aristophanes in hisce locis tragoedias Helenam et Andromedam, quae anno ante actae fuerat, festive ridet.

Coactus tandem Euripides mulieres rogat, ut secum in gratiam redeant; se enim nunquam iis maledicturum esse, pollicetur veniamque supplex orat; annuunt feminae: foedus feritur, facilique negotio liberato Mnesilocho, omnes laeti domum abeunt.

Fabula haecce pulcherrimis comici dramatibus annu-

merari meretur, sed tantum abest, ut Aristophanes mulieres a criminibus Euripidis defendat, ut ea multis aliis sceleribus aggravet (1). Mores corrupti matronarum atticarum acerbissine perstringuntur: scelera deteguntur: toti generi mulierum ut in Lysistrata et Ecclesiazusis graviter insultatur. Euripidis ergo drama conscriptum videtur, sed revera ad feminas irridendas compositum est.

RANAE.

Comoedia, Ranae inscripta, melius fortassse certamen inter Aeschylum et Euripidem dici posset, nam chorus ranarum semel tantum introducitur, et mystae seu initiati justi chori munere funguntur. Drama scripsisse videtur Aristophanes eo consilio, ut merita et vitia Euripidis et Aeschyli inter se compararet. Facete hoc consilium exsequitur. Euripides et Sophocles ambo diem supremum obierant (2) nullusque tragicus inveniebatur qui horum poëtarum merita aequaret; itaque Bacchus ad inferos descendere fingitur, ut inde tragicum

(1) Cf. Jos. Barnes: vit. Euripid. pag. 4.

(2) Euripides mortuus erat Olymp. 93, 3, 8. A. C. 406 et Sophocles Olymp. 93, 4. Ranae anno eodem sunt actae. Cf. Clinton. Fast. Hell. Aeschylus jam Olymp. 81, 1. A. C. 456 occubuerat.

ad artem labefactatam instaurandam aptissimum retrahat. Herculem adit, eique, quam ab causam in Orcum descendere velit, explicat: Sophoclem, Euripidem, Agathonem decessisse; Jophontem et Xenoclem et reliquorum tragicorum turbam non magni aestimandos esse. Itaque viam mihi monstres, frater, ait Bacchus, quippe tu illuc olim profectus es, Cerberum domiturus. Hercules ei morem gerit et ridicule deversoria, vias, fontes urbes cet. enumerat, ut poëtarum figmenta de Orco derideantur. Bacchus, sumta Herculis clava, pelleque leonina amictus, comite servo Xanthia proficiscitur et mox ad Charontem flumenque Stygium pervenit. Hic eum excipit chorus Ranarum (1) et suavissimo cantu *βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ* invitum et stomachantem prosequuntur. Trajecta palude, per domos Ditis vacuas et inania regna, Bacchus et Xanthias errant choroque initiatorum obviam veniunt. Hi mystae in amoenissimis locis perpetua felicitate fruuntur, laetisque choreis Bacchum et Cererem celebrant. (Qui enim mysteriis Eleusiniis initiati essent, pcst mortem beatissimi habebantur, atque ideo omnes fere Athenienses hisce sacris initiari sese curabant. Cum autem vetitum esset quidquam ad haec mysteria pertinens effutire densa caligine premuntur, nec quid-

(1) Vs. 209 seqq. Theatrum Bacchi in quo ludi scenici edebantur conditum erat in ea parte urbis, quae *Λιμναὶ* nominabatur. Bacchus in hac comoedia paludes trajicit. Anne poëta ob hanc rem fortuitam, ista excogitavit? Athenienses sine dubio melius intellexerunt, quam nos, quid istae ranae sibi vellent. Fortasse mali iste tragici sic ridentur.

quam certi fere ex iis nobis notum est). Aristophanes huic mystarum choro, praeter solemnes Deorum invocationes, etiam multa convicia in malevolos quosdam ingerentem facit.

Ab hisce viam edoctus Bacchus pergit ad domum Plutonis. Verum, cum clavam gerens et pelle leonina ornatus, Herculem referret, ab Aeaco qui Herculem eum esse arbitratur, terribilibus minis excipitur, et a cauponis, quas Hercules olim mercede defraudarat, conviciis laceratur. Scenae festivae, in quibus Hercules ob voracitatem, Bacchus autem ob timidam ignaviam et metum ludibrio habentur. Tandem post varios casus et tot discrimina rerum ad altum Plutonis solium perveniunt.

Chorus in parabasi quadam brevissima spectatores alloquitur et nonnulla vitia in reipublicae administratione obiter reprehendit. Sed opus est, ut resgestas breviter exponamus. Alcibiades cui Athenienses fiderant, paulo post favorem plebis, quae imperium ad eum detulerat, amisit, quod Antiochum gubernatorem, qui injussu Alcibiadis cum Lysandro apud Notium navali proelio conflixerat, victum esse, imperatori absenti exprobrarent. Frustra ille annisus est, ut gratiam recuperaret: ab inimicis coactus, in exsilium denuo abiit, neque unquam in ingratam patriam reversus est. Decem imperatores ejus loco suffecti, quorum celeberrimus erat Conon. Qui cum rebus diu feliciter gestis, a Callicratida, Lysandri successore, Mileti obsideretur, Athenienses ad eum obsidione eximendum, intra triginta dies classem cen-

tum et decem navium exornarunt, omnibus etiam servis ad arma vocatis. Socii etiam multas naves misere. Maximo, quod unquam inter Graecos commissum est, proelio navali, classis haec cum Peloponnesiis apud insulas Arginusas dimicavit, plures quam sexaginta hostium naves submersit, et occiso ipso Callicratida claram victoriam reportavit (1). Verum Athenienses hoc victoriae decus foedo et turpi crimine contaminarunt. Etenim decem imperatores (excepto Conone, qui Mileti erat) Therameni et Thrasybulo imperaverant ut naufragos ex depressis Atheniensium triremibus (viginti quinque numero illae fuerunt) reciperent: at gravis et subito exorta tempestas impediit quominus hoc jussum exsequerentur. Archedemi malignitas et Theramenis astutia (2) effecerunt, ut horum naufragorum mors imperatoribus vitio verteretur a populo. Accusati sunt, tanquam dolo malo eos miseros non recepissent, et, licet omnes boni, ut Socrates et imprimis Euryptolemus insontes imperatores defenderent, capitis damnati et sex ultimo supplicio affecti sunt: tres enim procellam timentes, in urbem ad causam dicendam non venerant, et Conon rei gestae non interfuerat. Poenas hujus crudelitatis injustitiae populus mox dedit, nam sequenti anno

---

(1) Xenoph. Hist. Graec. Lib. 1. Diod. Sicul. lib. 13.

(2) Amborum meminit Aristoph. in hac fabula vs. 415 et 558.

fatalis clades apud Aegos Potamos vires reipublicae in omne tempus fregit (1).

Ad hancce injustam ducum damnationem pertinere videntur, quae chorus (2) dicit de civibus nonnullis, notâ eximendis; turpe enim esse servis, qui uni proelio interfuerunt navali, libertatem jusque civitatis dari; cives autem, quorum patres jam aeque ac ipsi bonam reipublicae operam navaverant infames esse. Tum chorus Cleophontem (3) et Cligenem quendam, balnearium conviciis lacerat qui res turbabant. Lepidissima est comparatio bonorum et malorum civium cum pecunia veteri et proba et nummis adulterinis quibus hoc tempore Athenienses usi videntur. Olim enim argentum et aurum non depravatum mercatoribus erat, quod et Graeci et barbari libenter accipiebant; hodie vero utuntur (4):

τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις
χθές τε καὶ πρώην κοπεῖσι τῷ κακίστῳ κόμματι

---

(1) Secundùm Clintonem Fast. Hellen. pugnâ apud Aegos Potamos eodem anno et quidem antequam Ranae actae sunt, dimicatum est. Populum mox injuriae istae poenituit. Auctores criminis, Cleopho, Callixenus, Theramenes serius ocyus criminum poenas dederunt.

(2) Vs. 676 seqq.

(3) In hunc demagogum Plato comicus hoc ipso anno una cum Aristophanis Ranis comoediam composuit.

(4) Vs. 715.

τῶν πολιτῶν θ' οὓς μὲν ἴσμεν εὐγενεῖς καὶ σώφρονας
ἄνδρας ὄντας καὶ δικαίους καὶ καλούς τε κἀγάθους,
καὶ τραφέντας ἐν παλαίστραις, καὶ χοροῖς, καὶ μουσικῇ,
προυσελοῦμεν. τοῖς δὲ χαλκοῖς, καὶ ξένοις καὶ πυῤῥίαις,
καὶ πονηροῖς, κἀκ πονηρῶν, εἰς ἅπαντα χρώμεθα.

Verissimá comicus monuit sed frustra. Ad fabulam redeamus. Bacchus Plutoni causam, cur venerit, indicat. Magnum extemplo certamen oritur. Cum enim is qui arte sua praestantissimus fuisset, post mortem sellam eburneam a Plutone acciperet, cui insidens ceteris ejusdem artis cultoribus honore antecelleret, Aeschylus *τὸν τραγῳδικὸν θρόνον* adeptus erat, sed Euripides contendere audet hunc honorem non Aeschylo, sed sibi competere. Sophocles pro sua modestia, Aeschylo cesserat, sed cum Euripide se de palma certaturum, si Aeschylus vinceretur declarat. Res summo studio agitur; scelesta perditorum turba, quibus Orcus, ut urbs Athenarum, abundat, Euripidi favet; ab Aeschyli partibus pauci tantum iique boni stabant; *ὀλιγὸν γὰρ τὸ χρηστὸν ἐν Ἀΐδῃ ὥσπερ ἐν Ἀθήναις* (1). Pluto concione advocata, ambos inter se certare jubet, et argumentis demonstrare, uter tragica arte magis praestet, Bacchumque quaerit ut judicium de iis ferat. Euripides Aeschylo exprobrat verba tumida et sesquipedalia, choros justo longiores, qui, dùm multum temporis cantando absumunt spectatoribus frustra exspectantibus molestiam parant; interlocutores silentes, Achillem, Nioben

---

(1) Vs. 1426.

cet. Deinde sua ipse merita extollit, se nusquam ampullas jactasse, sed sententiis, sapientiae plenis spectatores ad virtutem colendam excitasse. Aeschylus par pari refert; mores, verba, metrum, jambos et lyricam partem graviter increpat. Verum qui haec omnia fuse explicare et exemplis ex utriusque tragici fabulis illustrare vellet, de hac comoedia sola dissertationem conscribere posset; quippe per septuaginta fere versus ambo poëtae rixantur. Aristophanes eodem judicio quo de republica loqui solet, de poëtarum meritis et vitiis disserit. Tandem Bacchus, uter eligendus sit, dubitans, eum se abducturum esse ait, qui optimum reipublicae consilium dederit et quid de Alcibiade sentiat, expromserit. (1)

Praeter haec, alia quoque suadent, et postremo Bacchus Aeschylum eligit, quem secum Athenas reducat. Sophocles absente Aeschylo, solium tragicum accipit.

Nullus dubito, quin Aristophanes hoc dramate ostenderit Sophoclem duobus reliquis tragicis antecellere praemioque ornandum esse; Aeschylum vero et Euripidem fere pares fuisse, quos dijudicare non facile sit, nam ipse ait (2):

κἄγω μὲν αὐτοὺς οὐ κρινῶ
τὸν μὲν γὰρ ἡγοῦμαι σοφὸν, τῷδ' ἥδομαι.

Ceterum verissimum Aeschylum dicentem facit (3),

---

(1) Vs. 1426.
(2) Vs. 1410.
(3) Vs. 858.

ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι
τουτῷ (Euripidi) *συντέθνηκεν.*

nam post mortem Euripidis et Sophoclis tragoedia nullis celebribus viris exculta esse videtur.

ECCLESIAZUSAE.

Captis Athenis, Lacedaemonii imperium, Pausaniae superbia olim amissum, Lysandri artibus et fortuna bellica recuperarunt, atque Atheniensium civitas, triginta tyrannis tradita, poenis atrocibus crimina, in socios et alios Graecos commissa, eluit. Attamen tyrannorum saevitia et immanitas Thrasybulum aliosque excitavit ad patriam isto furore liberandam. Notissima sunt, quae summus ille vir perfecit. Lacedaemonii ejus inceptis non obstiterunt, seu, quia bello Persico nimis occupati, urbem nullis moenibus, nullisque copiis et classe nulla validam spernebant, seu quod odium quo jam omnes Graeci superbum Spartanorum imperium prosequebantur, mulcere sese posse sperabant si Atheniensibus libertatem antiquam redderent. Omissa fere Graecia, solam Asiam intuebantur, ubi Dercyllidas, Thimbronis cladem ultus, exercitum multis victoriis clarum Agesilao jam tradiderat. Quominus hic Persarum regnum occuparet ditionisque Spartanorum faceret, bellum repente in Graecia ortum impedivit. Thebani et Boeoti, Lacedaemonios bello persecuti, Lysandrum apud Haliartum fugatum oc-

cidunt, et cum Argivis et Atheniensibus foedus contra communem hostem ineunt. Revocatus Agesilaus confestim Boeotos sociosque apud Coroneam magno proelio devicit; verum laetitiam, ex hac victoria perceptam, minuit classis apud Cnidum amissa. Agesilaus imminens periculum patriae propulsit; alioquin verendum esset, ne jam tum Spartanorum potentia frangeretur. Haec autem laus Epaminondae servata est. Bellum de hisce turbis excitatum Corinthiacum vulgo appellatur et per octo annos Corinthiorum terram misere vexavit. Ibi enim haerebat istud malum; atrox seditio in ipsa urbe Corintho permultos funesta morte exstinxit, cum alii Laconibus, alii autem ceteris Graecis addicti essent. Quisque suis opem ferre conabatur, atque ita bellum trahebatur, nullo proelio memorabile, praeter pugnas ad Coroneam et Cnidum. Conon, Persica classe, et pecunia a rege data, muros Athenarum laudabili studio reficiendos curavit, indignantibus Lacedaemoniis, qui non immerito timebant, ne urbs brevi tempore pristinam potestatem resumeret. Itaque de hisce rebus Antalcidam ad regem miserunt, qui in tempore isto periculo provideret (1).

Talis erat Graeciae status, cum Aristophanes ultimas earum quae supersunt, fabulas doceret, Ecclesiazusas, et Plutum. Ecclesiazusae ita dictae sunt, quia mulieres finguntur in concione de rebus ad rempublicam pertinentibus verba facere et viris suadere ut re-

(1) Xenoph. Hist. Gr. Lib. II, et III. Diodor. Sicul Lib. 14.

rum summam mulieribus permittant. Praxagora, matrona Atheniensis, ceteras mulieres convocat iisque persuadet, ut barbam mento alligent, vestes viriles induant, baculoque arrepto clam in comitium perrumpant; pollicetur, se ibi populum allocuturam et facile omnium animos ad suas partes tracturam. Mulieribus vetitum erat in concionem venire, ideoque vestimenta virilia sumunt Praxagora et comites, ne agnoscantur.

Antequam abeant ad comitium, Praxagora orationem quam in concione habitura est, repetit, ne in dicendo labatur (1). Indignum mihi videtur, o cives, et non ferendum, rempublicam semper in pessimorum manu èsse,

ὁρῶ γὰρ αὐτὴν προστάταισι χρωμένην
ἀεὶ πονηροῖς . κἂν τις ἡμέραν μίαν
χρηστὸς γένηται δέκα πονηρὸς γίγνεται.

Omnia venalia sunt; factionibus inter se cives rixantur; foedus cum Boeotis ictum, eo, quo inibatur, tempore ab omnibus necessarium habebatur; nunc autem nemo id probat; rhetor, cujus auctoritate moti (Conon?) vos foedus pepigistis, jam excessit; pauperes naves deducendas esse putant, divites et agricolae in alia omnia abeunt; demagogi vos decipiunt:

ὑμεῖς γ' ἄρ' ἔστ', ὦ δῆμε, τούτων αἴτιοι.
τὰ δημόσια γὰρ μισθοφοροῦντες χρήματα,
ἰδίᾳ σκοπεῖσθ' ἕκαστος, ὅ τι τις κερδανεῖ
τὸ δὲ κοινὸν κυλίνδεται.

(1) Vs. 169.

At si vero rempublicam ad mulieres deferre velitis o cives, vos omnes salvos fore affirmare audeo. Mulieres enim rerum novandarum studio non agitantur; adhuc eodem modo, quo antea, domesticis officiis funguntur, nihil unquam mutatur. Neque demagogi nos ludibrio habent, qui vos plerumque decipiunt; vos nimia levitas ingenii et incuria perdit; nos autem res domi summa fide administramus, atque ita majore etiam cura publicis rebus prospiciemus. Audita et comprobata hac oratione, mulieres barba, vestibus virilibus, baculoque ornatae graviter ad Pnycem adscendunt.

Interim Blepyrus, Praxagorae maritus cum expergefactus somno, vestem suam invenire non potest, et quamobrem uxor tam mane evolaverit, miratur, a vicino audit, mulieres omnes abiisse, sed se nescire, quem in locum. Chremes, alius vicinus mox e concione reversus Blepyrum certiorem facit plebem reipublicae curam mulieribus permisisse; pulchrum enim juvenem ita civibus persuasisse, quia mulieres multo viris meliores sunt; inter eas non sunt sycophantae, non peculatores, demagogi, verbo, aptissimae sunt reipublicae gerendae. Attamen Chremes et Blepyrus rem haudquaquam probant. Redit Praxagora, abjecta jam barba et veste virili, et maritum interrogantem, ubinam terrarum fuerit, mendaciis circumvenit. Blepyrus morosus ei plebiscitum exponit. Praxagora, urbem felicissimam fore, exclamat, modo viri novas leges novamque reipublicae formam, a mulieribus institutam accipere velint: etenim omnium bona com-

munia fore, ne alter altero ditior sit, neque pauperes inveniantur; omnes cives bona sua, agros, servos in aerarium conferre debere, ut ex eorum reditu cuncti simul alantur; mulieres aerarii curam gesturas et reipublicae praefuturas esse; ipsas quoque viris communes fore. Praeterea alia instituta Praxagora Blepyro explicat, quae in deridendas philosophorum opiniones finguntur. Si Plato jam tunc temporis libros de republica ediderit, hos fortasse comicus irridet. In reliqua comoediae parte nihil praeter lascivos jocos et facetias, quae infimae plebi tantum placere possunt, invenimus, quos silentio praeterire praestat. Tandem populus leges a mulieribus latas, accipere et summa felicitate frui fingitur. Neque Lysistratae, nehujus fabulae jacturâ graviter nobis dolendum fore putamus. Utinam pro hisce duobus, duo Menandri dramata tempus nobis conservasset!

PLUTUS.

Fabulam, quae Plutus inscribitur, jam viginti annis ante Aristophanes docuerat, sed, ut multas alias postea emendavit et rursus edidit. Multa in hac secunda editione mutata esse, verosimile videtur, quia ab Antimacho quodam lex lata fuerat, quae nimiam comicorum licentiam prohiberet, et vetaret, ne quem nominatim comici perstringerent. Chorus paulatim sublatus est et hisce ultimis Aristophanis fabulis pene deëst. Itaque Plutus se-

cundus non immerito ad comoediam mediam a plerisque refertur, quae veteri successit et ab Alexide, Antimacho imprimisque ab Menandro exculta est. Perpauca tantum in Pluto sunt, quae ad rempublicam referri possint et illa ex priore fabulae editione desumta videntur. Consilium, quo ductus hocce drama scripsit comicus, facile perspicitur. Aristophanes cum animadverteret omnes, ut et hodie fit, nimio divitiarum comparandarum studio abripi et pessimum quemque, modo locuples esset, summo honore ab omnibus coli; bonos autem pauperes contemni, fabula Pluti docet, paupertatem non ultimum esse malorum, sed multis in rebus utilissimam esse. Illa enim homines ad laborandum, ad artes et scientias excolendas exhortatur, virtutis amorem accendit, animos temperantia firmat. Divitiae autem hominum animos superbia elatos reddunt, luxuria frangunt, sceleribus vitiisque contaminant. Etiam eos, qui dum pauperes fuerant, virtuti studuerant, divitiae opesque ad pejora trahere solent.

Chremylus quidam bonus sed pauper homo, Apollinem consulit, an filius iisdem, quibus ipse, moribus, vitam instituere debeat et paupertate premi, an aliorum exempla imitari, qui pessimis artibus magnas opes comparassent. Ad quaestionem Deus non respondet, sed tantum ait: cui primo obviam veneris, eum sequere. Chremylus, comite servo Carione abit et mox offendit hominem coecum et squalentem. Quem cum percontaretur, quis sit et unde, cognovit, eum esse Plutum divitiarum Deum. Gaudio exsultans Chremylus

extemplo eum arripit et obsecrat, ut secum proficisci velit: ego enim dignus sum, quem divitiis cumules. — At, hercule, ait Plutus, omnes idem ajunt; cumque iis morem gesserim, nemo mihi gratias refert; avarus in vincula me conjicit; prodigus meretricibus, tesseris et vino discerpendum tradit. Insuper quoque coecus sum, ne discernere possim bonos malosque, ita enim Jupiter voluit: fastidio igitur homines et ne mihi molestias afferas, obsecro. — Sed Chremylus hisce verbis non deterritus, bono sis animo, ait o Plute; ego te hoc oculorum morbo brevi liberabo, ut videas quinam tuis beneficiis sint digni. Victus tandem precibus Plutus eos comitatur et omnes bonos divitiis sese cumulaturum esse pollicetur. Carion actutum agricolas convocat (quibus Aristophanes semper favet) et eos de Pluti adventu certiores facit.

Fama, Plutum ipsum ad Chremylum venisse, percrebrescit; accurruut vicini et Blepsidemus, Chremyli familiaris, apud eum inquirit, verane sint, quae narrentur. Vix credere vult, et non facile Chremylus ei persuadet. Dum ambo de ratione, qua, Pluto visus reddendus sit, deliberent, Penia, paupertatis Deae advolat, nefas esse, clamitans, istos id parare: sibi istud magno damno fore, nec ullum locum relinqui sibi quo habitare possit. — Tantum abest, ut nefas sit, quod aggrediamur, respondet Chremylus, ut nesciam, quo quis majore beneficio genus humanum afficeret. — Agedum, ait Penia, videamus, utra nostrum utilior hominibus sit, ego an divitiae? Si omnes aeque opibus pollent, quis tum agros colere, arti-

tibusque operam dare vult? unde servos emes, unde supellectilia comparabis? nemo enim dives laborabit. Quod cum Chremylus infitias ire non posset, conviciis eam onerat et mala egestatis enumerat. — Verum ego non sum Egestas sed Paupertas, et multum hae differunt: pauperes sunt ii, qui labore et opera victum sibi suppeditant et non egent, neque abundant. Ejusmodi homines ditioribus multo sunt praeferendi: non superbiunt, non voluptatibus franguntur (1):

σκέψαι τοίνυν ἐν ταῖς πόλεσιν τοὺς ῥήτορας ὡς ὁπόταν μὲν
ὦσι πένητες, περὶ τὸν δῆμον καὶ τὴν πόλιν εἰσὶ δίκαιοι·
πλουτήσαντες δ' ἀπὸ τῶν κοινῶν παράχρημ' ἄδικοι γεγένηνται,
ἐπιβουλεύουσί τε τῷ πλήθει, καὶ τῷ δήμῳ πολεμοῦσιν.

Chremylus verum hoc esse fatetur, sed cum argumentis eam refutare non possit, adjuvante Blepsidemo, Peniam foras ejicit. Deinde Plutum in Aesculapii templum ducit, qui eum sanaret. Carion uxori Chremyli et agricolis narrat, quomodo haec peracta sint. Acerrime hoc loco Aristophanes sacerdotes carpit et fraudes quibus uti solebant, detegit. Attamen Plutus visum recuperat magnasque Deae et urbi Athenarum gratias agit et pollicetur se in posterum bonis solis fauturum esse. Verum dixisse Deum, ostendunt justus quidam, qui paupertate liberatus, feliciter vivit, et sycophanta, qui magno ejulatu se perditum esse queritur. Triginta tyranni hanc pestem initio urbe ejecerant, cum pessimum quemque persequerentur; reddita vero libertate, etiam libertatis

(1) Vs. 567.

incommoda reddebantur, et Athenienses rursus isto malo sunt vexati.

In sequentibus scenis Aristophanes demonstrare videtur vix fieri aliter posse, quin is qui repente dives factus sit, insolentior et lascivior evadat, neque Deos veneretur, quod eorum auxilio non amplius se indigere sibi videatur. Itaque cum omnes boni divites sint facti, Mercurius Olympo relicto, in terram descendit ut servili officio victum sibi quaerat, nam nemo amplius Diis sacrificia offerenda esse putat, et dii fame pereunt. Sacerdos templa et aras relinquit, et ad divites se confert, nam boni non sacrificant, et mali, utpote qui Diis invisi sunt, eos rogare non audent; igitur fana et sacraria sunt deserta. Postremo Chremylus Plutum solenniter in acropolin ducit, et in opisthodomo Parthenonis, ubi aerarium publicum erat, collocat, ut ibi semper habitet et exhaustas diuturno bello opes reipublicae restituat.

Argumenti simplicitate, jocorum elegantia, et dictionis urbanitate ceteris comoediis praeferendus est Plutus, quem si ultimum scripserit comicus, senectute se non ingenio privatum esse quo juvenis excelluerat, ostendit, licet acerbitatem tempus et aetas non parum minuerint.

TANTUM.

THESES.

I.

Aristophanes in Nubium dramate non Socratis philosophiam, sed merito Sophistarum nugas deridet, quum eodem, quo plurimi Atheniensium, errore lapsus, Socratem quoque Sophistam esse putaret.

II.

Aristophanes in comoedia quae Ranae inscribitur, Aeschylum et Euripidem comparans eorumque merita et vitia acri judicio examinans, Sophoclem tragoediae principem declarare videtur.

III.

Nullus Graecorum scriptorum superstitum melius cum Aristophane conferri potest, quam Lucianus, qui etsi rarissime res politicas attingit, tamen summa jocorum festivitate hominum vitia perstringit et vanitatem philosophorum ludibrio habet.

IV.

Xenophon in libello de Rep. Athen. comprobans rationem, qua populus regiminis formam, semel electam, conservaverit, democratiam lepide vituperat.

V.

Pericles ipse, democratiae nimis indulgendo effecit, ut respublica brevi tempore in exitium ruerit.

VI.

Anaxagoras primus fuit apud Graecos philosophus, qui Deum a materia sejunctum statuit.

VII.

Vera Socratis sententia non adeo e Platone, quam e Xenophonte cognoscenda est.

VIII.

T. Quinctius Flamininus, etsi palam Graecos

libertate donare visus est, revera servitutem iis paravit.

IX.

Epistolae Plinii secundi utilissimae sunt ad cognoscendam litterarum conditionem apud Romanos, regnante Nerva et Trajano.

X.

Poëta tragicus Hispanus, Calderon de la Barca, ingenii poetici praestantia dictionisque insolitae vi fere comparandus est cum tragico Anglo Shakespear.

AAN MIJNEN VRIEND

H. POL,

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT

Doctor in de Letteren.

De jeugd der menschheid is verdwenen,
En met den eersten lentebloei
Ging ook de schoone tijd daarhenen
Van weeldrige onbedwongen groei;
Maar de ed'le vrucht dier frissche loten
Hield een onsterflijk sap besloten,
Door 't woên des tijds vergeefs belaagd;
Zij durft met d' alverwoester spelen,
En hem die alles dreigt, bevelen,
Daar ze over eeuwen de eerkroon draagt.

Maar zoo als in den kring der lichten
De fiere dagheldinne praalt,
En voor haar gloed den glans doet zwichten
Van maan of starren afgestraald,
Zoo zag de rij der voorgeslachten
Het schoonste beeld van bloei en krachten
In uwe jeugd, o Griekenland!
Bij 't licht dat eens uw kroon deed blinken
Moest heel deez' aard in schaduw zinken
Voor zoo veel luister naauw bestand.

O dichtkunst, immer aangebeden
Waar ooit de mensch zijn rang waardeert,
Wier toovérkracht alom beleden
En innig dankbaar wordt vereerd,
Gij stelt ons van uw alvermogen
De luisterrijkste proef voor oogen
In 't land door u gekweekt, volmaakt.
Die proef alleen voldong uw waarde,
Had ook geen and're plek der aarde
Uw' milden zegen ooit gesmaakt.

Weerhoudt dien spotlach, stroeve wijzen,
Als in het kinderlijk verhaal
Amphion muren doet verrijzen
Door zoeten zang en toovertaal;
En op verlaten' dorre weiden
Laurier en eik haar schaaûw verspreiden,
Als Phoebus zoon de snaren roert,
En adelaars op vlugge pennen,
En leeuw en tijger zamen rennen
En luist'ren, door dien zang vervoerd.

Uw taak was schoon, o Chios zanger!
Verheven 't licht dat u omgeeft,
De duisternis weêrstond niet langer
Den gloed, die in uw zangen leeft;
De Griek die u niet had gehuldigd,
Niet u zijn vorming was verschuldigd,
Droeg van zijn' adel 't zegel niet.
Gelukkig land, wiens grootste wijzen
Hem als den grootsten wijsgeer prijzen,
Die wijsheid leerde in 't schoonste lied.

Het licht na Zembla's bange nachten,
De bron in Sahra's gloeijend zand,
Herstelt de werkelooze krachten,
Herroept de hoop in 't kwijnend land;
Maar hooger kracht en hoop herleven,
Waar uwe bronnen laafnis geven,
Uw luister straalt, gevierde kunst,
Die nederdaalt uit hooger kringen,
Om aan uw hand uw voedsterlingen
Te vormen voor volmaakter gunst.

Er is een harmonie der zinnen,
Een toonkunst, die de zielen wint,
Vereend het eigen schoon doet minnen,
Door zachte koorden harten bindt;
Zij was het, vriend! die ons deed blaken
Om 't onwaardeerbaar zoet te smaken,
Dat uit die reine bronwel stroomt;
En op dien hechten grond beveiligd,
Verrees, der vriendschap toegeheiligd,
Een zuil, die tijd noch stormen schroomt.

Herdenken zal dien grondvest schragen;
De ziel vergeet den indruk niet,
Schoon ras, misschien voor lange dagen,
Het hart den laatsten groet u biedt;
Hij blijft, herroepen wij de beelden
Die onzen geest zoo dikwijls streelden,
En soms ontvoerden boven de aard,
Of als wij staren op de schreden
Der ed'len, groot in kracht en zeden,
In onverdoofb'ren gloed bewaard.

— —

Wanneer in Elis blijde velden
Bij 't luide davrend feestgeschal,
De roem ten Hemel steeg der helden
Herhaald uit monden zonder tal,
Dan rees met een de dank naar boven,
Geen Griek vergat den God te loven,
Die onwaardeerb're lauwren schonk,
En onder zoete melodijen
Omzwierden 't outer vlugge rijen,
Wier vreugd uit oog en aanschijn blonk.

Maar 't loon, dat den verwinnaar streelde,
Verhief de blijdschap van den kring,
Die in zijn heil vertrouwder deelde,
In zijnen roem hun' lof ontving;
O Griekenvriend, niet minder edel,
Siert thans een lauwerkrans uw schedel,
Schoon minder jubel haar u biedt;
Maar vrienden, die hem meer waardeerden,
Meer innig steeds zijn vriendschap eerden,
Bezat de vriend in Hellas niet.

GRON. — 23 Junij 1834. J. KRIEGER.

—

AD AMICUM

H. POL,

LITTERARUM HUMANIORUM DOCTOREM RECENS CREATUM.

Qualem excitator pulveris Elici
Velox equorum cursus ad ultimam
Perferre victorem solebat,
Ingeminante sonore, metam.

Videre cives te modo Grunici
Plaudente doctorum numero tibi
Summos reportantem decores,
Gruniacae officium Minervae.

Amice POLLI! nunc mage seriis
Solvisse mentem consiliis juvat;
Nunc atque temetum referto
Promere de cyatho decebit.

Absens loquaci pectora gaudio
Tentata cerno; nunc cameram undique
Refertam amicis, atque cinctum
Te juvenum socia caterva.

Fertur severo natus ab Aeaco
Redux Achilles victor ab hostibus
Tentorio laetus reviso
Sic hilarasse suos sodales.

Jam nunc remoti dulcis agri plaga
Vernis latenti quae mihi floribus
Arridet, insignem Magistrum
Suaviloquo hospitio moratur.

F. KOPPIUS.